Fü
2908

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000001

Ia 2908

Nachgelassene Bibliothek
Johann W. Fück

A. LANZENDORF
BUCHBINDEREI
LEIPZIG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000002

De 4212

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000003

Rothstein, Guil.

Recension v. Nöldeke Centralblatt 1877. no 26, 23 Juni pg 858.

Aus Thorb.'s Nachlass als duplum Gische

DE

CHRONOGRAPHO ARABE ANONYMO

QVI CODICE BEROLINENSI SPRENGERIANO

TRICESIMO CONTINETVR

COMMENTATIONEM

SCRIPSIT

IO. GVILELMVS ROTHSTEIN

DR. PHIL. CAND. THEOL. EV.

2908

HEINRICH THORBECKE

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

1877.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000005

DE

CHRONOGRAPHO ARABE ANONYMO

QVI CODICE BEROLINENSI SPRENGERIANO

TRICESIMO CONTINETVR

COMMENTATIONEM

SCRIPSIT

IO. GVILELMVS ROTHSTEIN

DR. PHIL. CAND. THEOL. EV.

2908

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII, TYPOGR.

1877.

IOANNI GILDEMEISTERO

FAVTORI HVIVS OPVSCVLI BENEVOLENTISSIMO

EX PIO GRATOQVE ANIMO

D.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000007

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000008

Codicum a viro clarissimo Sprengero collectorum, qui nunc in bibliotheca regia Berolinensi asservantur, tricesimus — usum eius egregia v. ill. Lepsii liberalitas v. cl. Gildemeistero magistro meo non denegavit — ex veterrimis libris manuscriptis arabicis ad nostram usque aetatem conservatis est; exstabat enim, ut ex pag. 178[1]) elucet, iam anno post fugam 682 exemplar Berolinense neque veri dissimile est id esse descriptum anno 531 p. f.[2]) De eo accuratius adhuc tractatum non est, praeterquam quod Sprenger in catalogo brevissime et in vita Muhammadis obiter nonnulla adnotavit, quibus nullo modo fieri potest ut qualis sit quantique aestimandus liber videas. Exposuit quidem, librum, qui ex libris historicis est, anno p. f. 231[3]) compositum esse a viro docto quodam Abu ʿysa[4]) Yahya ibn Muhammad almunaǧǧim.

In historicorum numero referendus est auctor, neque tamen id potissimum spectavit ut historiam conscriberet, sed ut potius quaecunque ex fontibus quam optimis hausta ad chronologiam accurate cum describendam tum confirmandam facerent, congereret disponeretque. Ad quod perficiendum omnem adhibuit in exqui-

[1]) In hac pagina leguntur quaedam ab eo, qui tum librum possidebat, inscripta, quibus cognoscitur, quis quandoque librum legerit. Quae sine ullo dubio legi necesse videtur, haec sunt: نظر فى هذا الكتاب ابراهيم .... ابن حسين ابن ابى حرب ..... قراته نص (?) ..... الراجى رحمة ربّه وغفرانه .. سنة اثنين (sic) وثمانين وستمائة ☆

[2]) vide infra cap. III.

[3]) In catalogo 131 perperam expositum in vita Muhammadis emendatur. Ceterum conferas cap. III.

[4]) Hoc esse auctoris nomen coniicit ex pag. 49. Nomen Abu ʿysa, quod nullo libri loco reperitur, ex historia anteislamica Abulfedae receptum esse videtur. vide cap. IV.

rendis temporibus curam ac diligentiam, ut jure putare videreris quod exhibitum ab eo sit fide dignum esse aliqua. Quod de posteriorum regum Persarum praecipueque Sâsânidarum aetatis ratione dico. Haud paucas etiam historias attulit fuseque imprimis de Persarum historia tractavit, quibus quidem dubium est an rerum cognitio augeatur. At nihil id ad rem. Dignus certe liber est, qui diligenter quamque subtilissime tractetur, atque cum de eo fusius agere suscipiamus, speramus, hac tractatione probatum iri, librum haud ignobilem inter scripta Arabum historica vel chronologica tenere locum.

Ut autem dilucidius res exhibeamus, sic tractationem disponimus, ut primum de externo codicis habitu brevius disseramus, deinde, summam rerum eo exhibitarum proponamus, tum de compositionis tempore disputemus, postea de ipso auctore quid sit censendum quaeramus, tandem de fontibus, quibus auctor utebatur, tractemus. Annectantur denique quaedam de ratione quae inter hunc librum aliosque libros historicos intercedit quaestiones.

I.

Codex omnis integer servatus non est. Deperdita sunt et ab initio libri et a fine nonnulla. Quae integra sunt nonaginta octo foliis forma 8^a sive paginis centum et nonaginta sex continentur atque sic ordine rerum accurate servato disponenda sunt.

a) Deest libri initium. Quot vero folia perierint, facile cognoscitur. Inscripta est pagina undecima siglo ٣, quo ea pagina indicatur tertium fasciculum (كراسة) incipi. Cum quisque fasciculus viginti constet paginis, priorum duorum tantum decem conservatae sunt paginae, quae quidem ita pro rebus relatis necesse est inter se coniungantur: pag. 1—8 et 9—10. Nescimus autem quot cum ante pag. 1 tum inter pag. 8 et 9. deperdita sint folia. Pag. 10 nulla re desiderata excipitur

b) paginis 11. 12. Cum autem videamus, pag. 13 quartum incipi fasciculum, constat, tertii illius duodeviginti desiderari paginas. Ad quam lacunam explendam ita huc pag. 183—194[1])

[1]) Hae paginae cum codex Berolini compingeretur, perperam sub finem libri positae sunt.

transferendae sunt ut post pag. 12 duo folia, unum autem ante pag. 13 restitui nequeat.

c) pag. 13 — 168 plane integrae sunt. Interierunt autem post pag. 168 quatuor paginae, quibus ad undecimum fasciculum complendum opus est.

d) pag. 169—182. 195—196 optime ut suo loco apparebit inter se cohaerent, atque cum pag. 169 prima fasciculi duodecimi sit pagina, quatuor tantum ad eum explendum desiderantur paginae. Codicem vero plus illis duodecim fasciculis nunquam constitisse veri est simile.

Codex docta manu exaratus est. Puncta quae dicuntur diacritica, quamquam nonnunquam emendatione egent, plerumque satis accurate literis distinguendis addita sunt; quae vero verba paucis quidem locis deprehenduntur vocalium signis instructa dubium est an iis ab ipso librario exornata sint. Exemplum saepius repertum hoc est مصاص.

Inde a pag. 150 scriptura adeo detersa est, ut multa modo opera impensa quid legendum sit, intelligatur, itemque quae a superiore parte pag. 51 deleta fere sunt, vix fieri potest, ut restituantur. Parvo autem negotio, quae vermi arrosa sunt, uno alterove vocabulo excepto supplentur. Una tantum reperitur pagina (178), quae primo aspectu olim plane fere quasi abluta videatur, ut qui quondam codicem possidebat, nonnulla potuerit in ea inscribere verba [1]), quamquam censemus, eam nunquam non vacuam fuisse verbis ad res ab auctore tractatas pertinentibus.

Dicendi genus, quo auctor usus est, frigidum satis est, ut in eius naturae libris exspectes licet, dilucidum autem passimque etiam elegantia quadam praeditum imprimis ubi orationes ampliores referuntur.

Haud raro sane peccata, quibus sermonis puritas turbatur, reperiuntur, quae quidem maximam fortasse partem imputanda videntur librario. Pauca dumtaxat deprehenduntur, quae usum magis iam corruptum redolent, quamquam an ipsi auctori tribuenda sint iure dubitare videmur. Neque enim librarium indoctum iam ex ipsa scriptura coniiciendum est librum descripsisse, sed qui et ipse in eo fuerit ut nonnulla ad emendandam auctoris quandam expositionem insereret [2]). Qua re considerata cogitari certe potest, eum etiam, cum librum describeret, libertate quadam usum non

---

[1]) vide pag. 1.

[2]) vide cap. III.

tam diligenter studuisse, ut accuratissime quae in exemplari reperirentur, transscriberet, ita quidem ut non solum in verbis scribendis saepius peccaret, sed etiam quae sermonis temporum posteriorum negligentioris essent, admitteret[1]). Haec sunt quae in legendo libro collegimus:

Pronomina suffixa tertiae personae masculinae et femininae minime diligenter distingui saepius vides. Unum ex tam innumeris exemplis satis est attulisse: pag. 125 legitur بعضهم حبلا. Scriptum est usque quaque احد, ubi احدى exigitur, e. g. p. 109 مدينتين احدهما p. 132 مرءتين تسما احدهما, p. 158 . . . . . حاجتين احدهما saepiusque. His autem magis usum vulgarem probat, quod p. 68 legitur: وزعموا ان امه ودك كانت اشر منه واكفر واردى[2]). Negligentioris sermonis est من الخصال فريدون pro من خصال فريدون. Semel verbum بقى forma بقا (p. 75) exaratum est, quod ita scriptum plane cum eiusdem verbi in lingua vulgari pronuntiatione consentit[3]), neque tamen, cum quippe aliis locis idem بقى scriptum occurrat, nimis premendum videtur. Item reprehendendum est, quod p. 190 obiectum praeposita Lâm cum verbo transitivo coniungitur: فحمل له والوجوه الى بابل. Nonnunquam ubi accusativus nominis intelligatur necesse est, nomina sine Alif illius nota exarata reperiuntur, cuius rei praeter alia haec sunt exempla: p. 75 طالبا كان او مطلوب, p. 144 فكلم . . . كلام طويل, p. 149 فلم يلبثوا الا قليل.

Quae quidem omnia, quamquam sermonis veteris normis contraria sunt, tamen, cum tam pauca sint, non efficiunt ut ab ipso iam auctore ea esse admissa contendamus, pari potius modo negligentia librarii effecta videntur atque quae nunc afferemus. Tanta est in nominibus numeralibus exponendis inconstantia ut vix unum alterumve ostendas locum, quo ea secundum syntaxeos normas sint perhibita. Tum forma nominativi exarata est ubi accusativi exspectatur, viceque versa, tum forma generis feminini ubi masculini vel masculini ubi feminini adhibenda est, reperitur. Quam inconstantiam soli censemus necesse esse librario imputari neque minus

---

[1]) Magni profecto ponderis est, quod etiam in pag. 49—51 quas ab illo librario docto additas censeo, menda deprehenduntur, quorum similia in ceteris libri partibus animadvertuntur. E. g. ان يقولون quocum conferas pag. 132 ان ينظرون al.

[2]) cf. Caussin de Perceval, gramm. arabe vulg. I éd. pag. 46 §. 191.

[3]) Caussin l. c. §. 143.

illud, quod innumeris locis forma nominis ابن, ubi a grammaticis plane reprehenditur, forma breviore بن exaratur, e. g. p. 13 كان رباها بن عم لها i. e. educaverat eam avunculi eius filius, pag. 14 انه ولد تليقاوس بن لم يولد الخ p. 82 وهو بن ثلثة عشر سنة al. Librarii negligentia factum esse manifestum est quod legis p. 131 ان يقولون p. 49 ينظروا pro ان ينظرون p. 132 تبتلى pro لم تبتلى pro يقولوا. Itemque pronomen separatum هو omissum est, p. 141 كان واخوه هرمز يتنازعا الخ pro كان هو واخوه, p. 103 فاجتمع وزرادشت pro فاجتمع هو وزرادشت صاحب المجوس.

Antiquiori vero ut videtur scribendi ratione haud raro vides librarium in exarando ى finali in coniugationum verborum tertiae و et ى formis II cet. minime sibi constantem Alif exhibuisse, e. g. p. 66 فوافا كابى p. 85 تلقا p. 100 يسما p. 148 يوتا al. De بقا pro بقى supra iam disputatum est.

Duorum verborum formae conjugationum quae dicuntur derivatarum reperiuntur quae lexico Freytagii non perhibentur. Pag. 148 استمهن (X) moleste ferre; p. 125 et 162 اوجل (IV) quod idem atque وجل (timere) significat. Eius autem naturae, quibus loquendi modus auctoris proprius probaretur, nulla reperi, quamquam dignum certe quod commemoretur est, semel verbum ادرك sequente على (p. 143) per zeugma idem fere significare atque verbum حمل seq. على. Verba haec sunt: ادركته الحمية i. e. pudor dedignatioque eum ceperunt والانف على معاودة اخسنوار et impulerunt ut iterum adoreretur اخسنوار [1]).

Restat, ut aliis scripturae proprietatibus — litera Alif quidem non in fine vocis solum, sed etiam medio in verbo antiquiorem ut videtur secundum scribendi usum infra lineam protenditur — praetermissis [2]), addamus, octo locis vocabula quaedam, cum versu finito ipsa nondum perfecta essent, discissa esse literasque quae reliquae essent, in sequentem versum esse translatas. Exempla haec exstant, p. 46 باحا ديثهم, p. 59 ابو نجهان, p. 98 بهر اسف, p. 129 تنزو جها p. 160 واستاً صل, p. 152 وشا يعوم, p. 149 والا هواز, p. 191 يهو شافاط. —

Aliud tandem mentione dignum est. Omnes fere qui in libro leguntur numeri siglis indicis expressi sunt; quod nos quidem siglo O indicamus, circuli neque puncti instar exaratum est et quinque

[1]) Ibn al-athîr in libro qui alkâmil inscribitur I, p. ٢٩٤ idem verbo حمل ita exposuit: حملته .... على معاودة.

[2]) de nominibus syriaca forma scriptis vide cap. V.

(o) duplici fere circulo perhibetur. Fasciculi libri iisdem numerorum signis exornati iam a librario sunt, duodecimus solum Arabum veterum more literis يب inscriptus apparet, atque omnes siglis copticis a posteriore quodam quasi muniti sunt.

II.

Duo imprimis erant fontes, ex quibus auctor necesse erat hauriret ut temporum ordinem exquireret ac confirmaret; alter Iudaeorum Christianorumque, alter Persarum scripta. Quorum quidem rationes nullo fere intervallo interiecto amplissimum temporum inde ab Adam e paradiso eiecto ad fugam usque Muhammadis spatium comprehendebant, quamquam haud plane inter se congruebant. Ut igitur quod propositum habebat, perficeret, necesse certe erat, quaecumque ab illis relata essent non solum accurate exponi sed etiam diligenter et examinari et diiudicari. Quod quo expeditius efficeret non inepte profecto tractationem disposuit. Separatim proponit quae a Indaeis Christianisque traduntur, et quae a Persis pro certo perhibentur, eo quidem consilio ut postremo accuratius illa inter se comparentur probeturque utrum sit veritati magis consentaneum. In has vero distribuendus est liber tres potissimum partes.

Prima pars continetur p. 1—12. 183—194. 13—46., in qua secundum Iudaeorum Christianorumque solummodo traditionem rarius Persarum rationibus comparatis temporum ordo exponitur et confirmatur. Cum vero intelligeret, quae Veteris Testamenti LXX virorum interpretatione exhibentur satis diversa esse a librorum hebraicorum traditione, operae eum minime taedebat, quin etiam ea seorsum exponeret et judicaret. Quid autem hac parte effecturus fuerit, ipse his verbis indicavit (p. 45): قد اجرينا امر هذا التاريخ على ما وجد من خبر المواليد وخبر الاوقات من لدن خبر هبوط آدم الى حدوث امر النبى صلعم والى وقت الهجرة على ما وجدنا فى التورية وكتب الوحى التى فى ايدى اليهود والنصارى وغيرهم مما لا اختلاف فيه بين اهل هذه الكتب وشرحنا ۞.

Secunda parte, quae p. 46—168. 169 sqq. constat et inscripta est باب الملوك, chronologiam Persarum, qualem regum ordinem secuti constituebant, exponit, cum copiosius res quoque ab illis gestas enarret. Quid vero sit cur hanc prae ceteris adhibuerit

chronologiam, optime his verbis illustratur, quae p. 46 legimus: فلما نظرنا فى ذلك (باب الملوك i. e.) لم يجز لنا الا القصد لصنف منهم واحد ليجوز ان يكون سياق الاوقات عليه فلم نجد من الملوك صنفا اولى بالقصد له من ملوك فارس وابائهم الاعاجم وذلك انهم فى بلاد اقليمنا وهو الاقليم الرابع ولان ملوكهم متصلة الى ان زال ملكهم بمقتل يزدجرد وظهور المسلمين ٥

A media autem p. 170 annorum summa cum a Iudaeis Christianisque tum a Persis effecta accuratius, cum alterorum sententiam cum alterorum conferat, diiudicatur. Deinde[1]), quo rem firmiorem reddat, a fuga inde retrorsum temporum spatia explicat eorumque ordinem confirmat. Quod cur factum sit ipse indicat p. 180: هذه المقايسة منكوسة لانها ابتدأناها من اخر الامر ومن مقتل يزدجرد ليكون ذلك اقرب وافهم للناظر والمتأمل ٥.

His duabus partibus quamquam quod propositum habebat plane absolvisse videtur, adiecit tamen tertiam licet fortasse multo breviorem partem, quâ, quod licet nobis coniicere, enumeravit dumtaxat ad suam usque aetatem Chalifas indicavitque quot quisque annos regnarit. Pag. 195. 196, quae solae integrae iam exstant, de prioribus decem chalifis, quorum ultimus Abdulmalik ibn Marvân usque ad annum octogesimum sextum post fugam rebus praeerat, tractatur.

Iam vero quam brevissime enarremus necesse est quasnam res auctor tractarit et primum quidem exponantur res quae prima libri parte continentur (p. 1—12. 183—194. 13—46).

Incipit codex ab his verbis: .....[2]) ولا تستتر امورهم ولا مواضعهم كاسمعيل واسحق ويعقوب والاسباط (3ومنها يوسف وموسى وهرون وداود وسليمان ويحيى وعيسى وغيرهم من انبياء ورسل قد ذكروا فى الكتب اسمائهم وانسابهم وكانوا مع ذلك لا يخلون من الفترات فى الاوقات يجد فيها ابليس لعنه الله لكيده موضعا والله عز وجل فى جميع ذلك متطول بحياطتهم وحفظ ما يحتاج الى حفظه لهم لينجز بذلك مواعيده لنبيه ابراهيم حتى ختم بخير ولده واحبهم

[1]) Pag. 170 sqq. ostendit, quid de rerum humanarum cursu cogitarit. Omnia a Deo gubernantur; sed duplici ratione in iis gubernandis usus est. Primo per prophetas res humanas postea per reges, quorum nonnulli simul prophetae munere functi dicuntur, regebat.

[2]) verbum certo restitui non potest.

[3]) ita verbum satis obliteratum legendum esse puto.

محمد ﷺ اليه واكرمهم عليه. Ita ampliorem de prophetis[1]) a Deo ad debellandas potestates diabolicas missis tractationem auctor finivisse videtur. Desunt omnia, quae de rebus ante Abraham gestis narrantur. Post autem illa verba modo allegata ita narratio continuatur: ومن جملة خبره انه ابراهيم بن ازر وكان يسمى قبل ذلك تارخ بن ناحور بن ساروغ الخ variaque et multa quae in eius aetate facta esse traduntur, exponit. Paucis tantum de Isaaco agit, uberius autem Arabum qui dicitur parentis Ismaelis historia narratur neque praetermisit nonnulla de primis Meccae urbis e gente جرهم incolis eorumque rebus perhibere. Obiter postquam Eliae (ايليا qui الخضر appellatur) mentionem fecit, prophetae ad filios Kûsh ibn Hâm missi, legimus, Abrahamum qui et ipse prophetae munere fungeretur, tanta a Nimrode, cuius in regionibus illius commorabatur gens[2]), affectum fuisse calamitate ut patria relicta in Aegyptum indeque cum Lot demigraret in Palaestinam. Sara uxore eius mortua duas in matrimonium duxisse dicitur pellices arabicas, quarum altera appellata erat Qeṭûra, altera حجون[3]). Ex utraque complures nati sunt filii, quorum nomina afferuntur. Aliis praeterea variisque rebus tractatis[4]) pauca exponit de Isaaco

[1]) In numero prophetarum Abraham refertur pag. 4 med.

[2]) Pag. 7. auctor diligenter de Abrahami patria quid senserint affert. conferas quoque Athîr. l. c. pag. ٦٧. Auctor ipse eum in Babel regione natum esse censuisse videtur (p. 4). Ibidem (p. 7) aliud mentione dignum affertur. وزعم اهل الكتاب ان نمرود كان يقتل الصبيان (= الصبيان) خوفا على دينه وملكه فسترت امعمل بنت دكعول ام ابراهيم صلوات الله عليه امره ولم يطّلع عليه احد الا غلاما كان لازر اسمه الى ثر عرب فقبل عالى ثر سماه ابراهيم عليه السلم لما كان من بلائه عنده العازر (= Eliezer). Nomen illud matris evidens est idem esse atque quod a Judaeis traditur Amtelai (cf. Beer, Leben Abrahams nach Auffassung der jüdischen Sage, Lips. 1859, p. 1 et 96 sq.), neque tamen nomen parentis explicare possumus cum quidem literis nimis discrepet a nominis forma Karnebo a Iudaeis exhibita cf. Beer. ibid.

[3]) Abrahamum praeter Hagarem duas duxisse pellices etiam in Iudaeorum libro Ṣohar inscripto legitur. cf. Beer. l. c. pag. 200 annot. 916. Nomen vero حجون reperis in Tha'labî libro qui العرائس inscribitur pag. ١٣ ed. Bulaq. et apud Ibn al-athîr l. c. I, p. ٨٧.

[4]) pag. 6 de ايوب (Iobo) eiusque prognatis usque ad شعيب qui et ipse نثرون (sic pro يثرون) appellatur, longius tractatur. Idemque fere licet brevius expositum est ab Ibnal-athîr l. c. pag. ٩٦

eiusque filiis Iacobo Esavoque e Rebbeca natis et tandem annorum ordinem, quatenus ad Abrahami eiusque filii Isaaci aetatem pertineat, accuratius exquirit, cum iam antea indicaret, quod ad universam chronologiam confirmandam faceret, his verbis: ولما مضى من عمر ابراهيم ثلثة وعشر سنة تمت الفا سنة من سنى العالم ومولد ابراهيم وقد مضى من لدن خلق الله آدم الى مولده الف تسع مائة وسبعة وثمنون سنة ومنها الى مولد نوح الف وستة وخمسون سنة ومن مولد نوح الى مولد ابراهيم تسع مائة واحد وثلثون ۞

Desiderantur inter p. 8 et 9 quae inde ab Isaaco ad Mosen usque gesta tradebantur. Pauca de Mose affert, et Israelitarum ex Aegypto exitus mentione facta accuratius illius aetatem ad itineris per desertum finem definit rationeque instituta confirmat. Invasionem vero terrae expugnationemque duce Josua perfectam fusius tractat atque postquam addidit, illo mortuo stirpes Simeonis Iudaeque primumque e gente Iudae Kaleb rebus praefuisse, quoad Iudices res gererent, perperam commemorat, prophetas Eliam et Elisam, ut populum etiam atque etiam ad Baalem desciscentem converterent, esse missos iam iudicum temporibus.

Huc transferendae sunt p. 183—194. Prima vero quae in p. 183 reperiuntur verba, ابن ابن يركمون معه لحمير ثمانى سنين, explicare non possum; quae sequntur iis facile intelligitur, de iudicibus agi eosque, postquam annorum quos regnabant summa indicata esset, et enumerari et exponi quot quisque annos regnarit. Illa enim verba his excipiuntur: ومنها غلبة اهل فلسطين عليهم ايضا واستعبادهم اياهم لمعاصيهم اربعون سنة ومنها ولاية شمشون الجبار من بنى اسرائيل عشرون سنة الخ ۞. Simul evidens est, non tam multa inter p. 12 et 183 interiisse, quin possent quatuor, quas supra statuimus, paginis contineri.

Simsonem, interregno decem annorum interposito (teste quidem utitur اصف بن برخيا), excipiebat Eli sacerdos; qui cum viginti et unum annos rebus praeerat, praeterierant tria milia mundi annorum [1]). Deinde tractatur de Samuele et Saulo longiusque de Davide, narrantur quae inter eum et Saulum regem, donec hic diem obiret supremum, accidisse dicuntur nec minus quae ab eo praeclare gesta traduntur [2]). Mentio facta est exitii miseri eius filii ايشا (sic

---

lin. 2 (infra), fusius autem ab eodem de illo l. c. pag. II. tractatur.

[1]) فلما مضى من ولايته احد وعشرون سنة تمت ثلثة الف سنة من سنى العالم ۞

[2]) In enarranda Davidis victoria de Goliath gigante reportata

nomen Absalomi depravatum est). Templum iam ab ipso inceptum conficiendum mandat filio Salomoni, cui, postquam patre mortuo rex factus est, ob deorum fictitiorum cultum ab uxore quadam institutum et a rege ut videtur concessum regnum paulisper esse abrogatum narrat; quo facto regem in deserto esse vagatum; addit etiam fabulam de annulo in pisce quodam capto traditam. Post ea annorum, quos qui erant e gente Salomonis reges regnabant, summa indicata et prophetis, qui per illud temporis spatium exstiterunt, nominatim expositis exhibet occasione data Iesu parentum usque ad Davidem et Abrahamum reductam genealogiam Iesuque et Ioannis Baptistae historiam paucis adumbrat. Quo facto redit unde aberravit, ut exponat quot quisque post Salomonem regnarit annos. Tandem, cum quidem iam antea quid Nebucadnezar contra populum fecerit narratum sit, ostendit errore eos teneri qui opinarentur, Cyrum qui exules reduces fecit eundem fuisse atque Bustasb. Quod vero sub finem huius fragmenti de Nebucadnezaris genealogia coepit exponere, integrum plane conservatum non est.

Arcte fere cum illis cohaerent quae p. 13 sq. leguntur. Cernimus enim, hac pagina de Ahasvero, qui ut iam p. 194 commemoratur ex Estera Israelitide Cyrum habebat filium, eiusque potentia permagna agi. Quînam factum sit ut Esteram in matrimonium duceret, accuratius enarrat. Plus duas igitur desiderari inter p. 194 et p. 13 paginas, non existimo.

Postea de Cyro, qui lege Israelitarum edoctus fuisse fertur, cum agat auctor, ut chronologiam plane confirmet, eius regni spatium cum regum Persarum ei aequalium aetatibus diligenter confert, itaque annos qui inde ab exeunte exilio ad Alexandrum Magnum usque praeterierunt computat iterumque postquam, genealogiam Bahmanis Persarum regis cum reduceret ad Kayumarthem, de hoc quid nonnulli tamquam esset idem atque Adam fabularentur, refutavit, copiosius confirmat. Atque cum de Israelitis in patriam reducibus eorumque civitate denuo efflorescente nonnulla addat et Christianorum quem tenent chronologiae instituendae modum proponat, tandem rursus refellit, Cyrum fuisse Bustasb et vera eius genealogia exposita ipsum nomen Cyri (كيرش [1]) explicat.

---

fabulam quandam, quae fertur de lapidibus Abrahami Isaaci Jacobi accurate exhibet, quam brevius quidem relatam reperis Ibn al-athîr l. c. I. p. ١٥٣.

[1]) Putat, nomen كيرش esse مُحَرَّف et rectius exarandum esse كى ارش. (p. 19 infra.)

Iam vero operam dat ut spatium quod inter Alexandrum et Iesum Christum est describat. Alexandrum autem Dario victo cum una cum Persarum regno etiam Israelitas sibi plane subiectos haberet, tamen iisdem narratur simile ipsorum dominationis concessisse. وكان لبنى اسرائيل شبيه بالرياسة معهم الا ان ذلك على سبيل الدين لا على سبيل الملك[1]). — Qua re praemissa annorum ordinem exquirit ad Christum usque natum et hac quidem ratione: Alexandrum [2]), qui quatuordecim annos regnabat, cum filius eius, cui idem erat nomen, propter nimium divini cultus studium imperium recusaret, alii in aliis tam vasti imperii partibus principes excipiebant, inter quos prae ceteris Ptolemaeorum in Aegypto regnantium gens maxime idonea erat cuius in constituenda et confirmanda chronologia ratio haberetur, ideoque eorum seriem a Ptolemaeo Lagi ad Cleopatram usque exposuit. Post eam Romanorum, qui rerum orientis potiti sunt, primus Gaius Iulius (خايوس يولوس) et secundus Augustus, cuius imperii anno quadragesimo secundo Iesus Christus natus est, regnabant. Atque inde ab Alexandro ad hoc usque tempus 303 anni computantur.

Deinde enarratis simul nonnullis in hoc temporis spatio rebus gestis, accuratius describit aetatem Christi. Augusto enim qui ab Christo nato quatuordecim annos rebus praeerat, mortuo Tiberius in regnum successit, cuius imperii anno decimo octavo Christus cruci suffixus est. Quem annum ut accuratius confirmet, addit, qui tunc muneribus in Iudaea functi sint. Rex erat Herodes,

---

[1]) pag. 20. Intelligi videtur his verbis munus illud regium fere, quo aechmalotarchae qui dicebantur fungebantur.

[2]) Alexandri genealogiam auctor ad Abrahamum reducit (p. 20), in qua nomen illud الاصفر tam obscurum reperitur. Verba haec quae huc pertineant digna sunt quae afferantur. الاسكندر بن فيلبس بن ..... بن ثوفل بن الاصفر بن ايليفر بن العبص بن اسحق الخ, quibus adduntur haec: وكان اسم الاصفر بالرومية اسفيوس واليه تنسب الروم وقال بعضهم ان الروم نسبت الى الاصفر بسبب العَبَص والسمرة التى كانت فى لونه. — In his العبص pro العبس scriptum est. Explicatur vero nomen illud الاصفر colore cutis quo distinguuntur Romani. Ad nomen ايليفر conferas quod cl. Ascolius ZDMG XV, 1861 p. 143 sq. disputavit. Dubium est quid sit illud اسفيوس, coniicio id rectius legendum esse اسفيرس ita quidem ut in eo latere videatur illud ab aliis scriptoribus traditum صوفير vel صوفر. Sed de hac re copiosius disputandi locus nunc datus non est.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000019

iudex Caesaris vicarius Pilatus, aechmalotarcha Israelitarum vir quidam, cuius nomen erat (!) نوشن بن بهبوبن. Mentione dignum est, auctorem de Christo cruci suffixo pariter atque in Qurâno Muhammad aliique haereticam quandam exposuisse opinionem, cum diceret, والذى شبه بالمسيح وصلب مكانه رجل اسراييلى كان يقال له ايشوع بن قنديرا (p. 24. 25. 190 [Sprenger 192][1]). Post haec mentione facta dissensionis, quae est de computando inter Alexandrum et Christum natum temporis spatio inter Magos Christianosque, inter quos his auctor assentitur, aliisque rebus (— fusius quidem expeditionem Babyloniae regis cuiusdam quam in Iudaeam suscepisse dicitur, ut Ioannis baptistae sanguinem sceleste effusum vindicaret, exponit —) allatis, quia ab Jesu inde nusquam fuisse animadvertit prophetam nisi Muhammadem neque librum sacrum esse revelatum praeter Qurânum perducitur ut (p. 25—28) accuratius enumeret libros et Iudaeis et Christianis sacros addatque libros nonnullos alios, qui quidem quamquam sacris pares non habentur tamen partim a Judaeis partim a Christianis magni aestimantur. Diligenter ex quarto Esrae libro[2]) fabulam recepit, quâ exponitur, Esram angelo instigatum conscribendos curasse 94 libros, quorum 24 publici iuris facti essent ceteri autem reconditi. Summus vero omnium nimirum librorum sacrorum atque optimus praedicatur Qurânus, الكتاب الذى لا ياتيه الباطل من بين يديه ولا من خلفه تنزيل من حكيم حميد[3])

[1]) cf. Qurân. Sur. 4, 156. 157 al. Copiosius de hac re disputavit Tha'labî l. c. p. ۴۳۶ atque aliis variisque opinionibus allatis exponit: وقيل ان الذى شبه بعيسى وصلب مكانه رجل اسرايلى يسمى اشيوع بن قنديرا (perperam اشيوع loco ايشوع exaratum est). Pari modo videmus Ibn al-athîr l. c. I p. ۲۳۶ verbotenus fere cum quod Tha'labî affert tum quod codice exhibetur tradidisse, nisi quod يوشع scriptum ab eo esse deprehendis. In voce قنديرا veri simile est illud inesse פנדירא, quo Iudaei patrem Iesu appellabant (cf. Winer, Bibl. Realwörterbuch I s. v. Ioseph). Unde hanc opinionem, quae haud longe abest a Cerinthi nugis, Arabes islamici exciperent, diligenter disseruit Roesch, Die Jesusmythen des Islam in theol. Studien u. Kritiken 1876 pag. 449 sqq.; ubi nomen Albiuh ben Keidîr (quod ex Maraccii „prodromi ad refutationem Alcorani“ parte tertia [p. 65] e Tha'labii in Quranum commentario excepit) emendandum est.

[2]) Inde ex hac fabulae expositione apparet, librum Esrae illum iam tum arabice redditum fuisse.

[3]) cf. Sur. 41, 42.

Restat ut annorum ad Muhammadem usque numerum computet; ad quod efficiendum duo praecipue exstabant fontes unde hauriendum erat. Christiani enim tempora describebant haec cum Romanorum imperatorum seriem sequerentur, Iudaei vero inde ab exilio, aechmalotarcharum ordinis ratione habita, annos computabant. Utramque rationem ut rem firmiorem redderet, exposuit atque et imperatores romanos usque ad Heraclium, qui aequalis prophetae erat, enumeravit computavitque inde a Christo nato ad fugam usque 617 annos, et aechmalotarchas, quorum primus Schealtiel erat atque ultimus, cuius in codice mentio facta est, David, qui mense Muharram anni p. f. ducentesimi tricesimi mortuus est [1]), exposuit, qui quidem omnino mille circiter aliquotque annos rebus praefuerunt. Quae annorum summa, siquidem annos, qui inde ab exilio exeunte ad Christum usque praeterierunt, omittis, eadem fere est quae Christianorum computatione efficitur [2]).

---

[1]) p. 35 haec leguntur: وكان موت داوود فى المحرم من سنة ثلثين ومائتى من الهجرة ۞

[2]) a) imperatorum qui exponuntur — nonnulli etiam plane desiderantur — nomina perperam plerumque exarata facile restituuntur. Anni, vero, quos quisque regnasse dicitur, paucis tantum exceptis, conveniunt iis quos ab aliis referri vides.

b) p. 34 sq. aechmalotarcharum ordinem diligenter exponit. Quae vero occurrunt nomina omnia explicari nequeunt. Priores undecim aechmalotarchae (رووس الجواليت), collato libro qui כדר עולם זוטא inscribitur (ed. Meyer) facile cognoscuntur nec minus postremi octo certo intelliguntur, ii vero, qui his praecedunt duodeviginti nullo modo, utpote cum librum alium quem comparemus non habeamus, intelligitur qui fuerint, adeo enim nomina plerumque in nostro exemplari corrupta videntur ut vix formam semiticam deprehendas. Aliis ipsius codicis locis commemorantur cum نوثن بن بهبوين qui decimus quartus in hac tabula enumeratur eiusque pater duodecimus, tum (p. 104) Serubabel, cui Kay Ardashîr Bahman mandasse dicitur رياسة الجالوت. — Octo vero illa postrema quae afferuntur nomina, non plane integra conservata sunt, sed facile restituuntur si comparatur quod v. cl. Graetz in Geschichte der Juden V p. 431 Not. 4 ex fontibus Iudaicis haustum accuratissime exposuit. Quo collato hac ratione nomina legenda sunt; 30. كسى leg. كفنى iud. כפנאי 31. هنينى = חנינאי 32. بوستاى leg. بوستناى = בוסתנאי 33. ازى perperam exaratum videtur legendumque ازدى = חכדאי 34. سليمن = שלמה 35. اسقرا cor-

Tam diligenter postquam copioseque annorum ordinem ad fugam usque exposuit, ostenditque quanto Iudaei Christianique de ultimo quod computandum erat spatio inter se dissentirent, causam huius dissensionis ut eruat operam dat. Nescit autem, utrum annorum solarium lunariumque discrepantia sit effecta an alia quadam ratione, cum dicat (p. 36): وقد يجوز ان يكون ذلك بسبب الكبس وما بين سنى الشمس وسنى القمر من الاختلاف او يكون ذلك لسهو دخل من ملك بعض هولاء الملوك من اليونانية والروم فان ثبت ذلك اخذ عن النصارى من غير كتب الوحى وقد يوجد فى كثير من كتبهم السهو الا ان هذا الاختلاف اختلاف مقارب يكون مثله فى مثل هذه السنين فاثبتنا فى هذا الكتاب لما بين الصلب والهجرة على اقرب الوجوه واشبهها بالحق ما اثبتناه واحتطنا ايضا بالرجوع الى سياق المجوس الخ itaque ut quamquam dissensio non prorsus tolli potest, tamen quam certissimum quod probasse sibi videtur reddat, operae eum non taedet, Magorum etiam conferre chronologiam; quorum quidem sententia Ardashîr ibn Bâbek anno p. Chr. n. 215 rerum potitus est indeque Sâsânidae ad fugam usque per annos 402 Persis imperabant, quibus annis computatis tot anni efficiuntur quot supra probavit.

Prius vero quam huius primae partis finem facit, duas adiecit tabulas, quibus cum secundum Vetus Testamentum hebraicum [1]) aliosque libros tum secundum LXX virorum interpretationem aliosque fontes ostendere in animo habet, quot omnino a mundo condito

---

ruptum certe est atque idem esse censeo quod a Graetzio perhibetur זכאי, 36. يهودا, quem Graetzius putat non fuisse aechmalotarcham sed quamquam scriptores iudaici non testantur eum hoc munere esse functum, tamen nil obstat quin id cum codice contendamus, praesertim cum inter Sakkai et David unus desideretur 37. داوود (דוד) qui anni 230 p. f. mense Muharram diem obiit. Graetzius l. c. p. 474 affirmat, eum sine ullo dubio munus iam anno p. Chr. n. 833 subiisse obtinuisseque ad annum 840 usque saltem. Codice igitur accuratius indicatur eum sub finem anni 844 mortuum esse. — cf. supra p. 13 annot. 1.

[1]) Haec tabula satis accurate ex libris veteris Testamenti desumta est. Gravius modo erravit, cum Qainân quendam, qui in graeca interpretatione deprehenditur, filium Arfahshad insereret, in vetere Testamento Hebraeorum non repertum. Deinde animadvertendum est, eum cum annos, qui inter Lamak et Nuh praeterierunt, annorum ad Lamak natum usque summae adderet, in computatione decem annis errasse. Loco ١٠٣٦ enim ١٠٤٦ scripsit, qui error per totam annorum computationem propagatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000022

ad fugam praeterierint anni, quantoque inter se de hoc annorum numero illae duae praecipue traditiones discrepent; mentione denique facta dissensionis quae est de Ascanidarum aetate inter Magos librosque nonnullos syriacos (بعض كتب السريان) ad alteram transit libri partem.

Secunda libri pars p. 46 sqq.

Pag. 46—48 auctor rebus hac parte tractandis nonnulla praefatus est. Exposuit quid esset cur prae ceteris Persarum regum ordinem historiamque exhibiturus esset, cum quidem id potissimum spectaret ut temporum ordinem exquireret confirmaretque. Quod postquam ostendit, addit de climatibus quae dicuntur septem satis accuratam expositionem. Varias attingit de iisdem opiniones neque solum quibus nominantur nomina arabica sed etiam persica diligenter refert. Etiam philosophos septem esse climata censuisse commemoratur, quorum nominatim duo exhibentur. Ptolemaeum quidem, dicit, ea ab oriente ad occidentem versus pari quodque longitudine esse contendisse, Hermes vero quidam (هرمس)[1] fertur Magorum sententiam sequens unumquodque illorum fuisse et longum septingentas parasangas et latum censuisse.

Quae sequitur pag. 48—51 expositio ab alio quodam nostro iudicio inserta infra in cap. III accuratius tractabitur.

Rerum vero quas auctor exponendas hac in parte spectabat enarratio[2] incipitur pag. 51 verbis his: وزعمت المجوس ان اول

---

[1] Hermae huius librum in quo quae attulit auctor reperiebantur, ipse legisse non videtur; quod inde colligendum est quod ita incipiens utriusque illorum philosophorum sententiae expositionem retulit وتزعم الفلاسفة أن اقليم الارض سبعة اقاليم وقال ان بلطميوس قسمها . . . . . وان هرمس قسمها الخ. Ceterum vix fieri potest ut invenias, quinam liber inter hermeticos quos novimus spectetur.

[2] Uberrime res in codice enarratae sunt, sed tractatio haec restringenda est. Quod ut facilius perficiamus neve nimis multa plane praetermittamus, ubique fere citabimus librum qui al Kâmil inscribitur ab Ibn al-athîro compositum et nonnullis quoque locis Firdôsii librum regum ed. I. Mohl, praesertim ubi de duabus prioribus regum gentibus tractamus. Animadvertimus enim, illum, quamquam ex aliis sane non paucis fontibus hauriebat, tamen plerumque verbotenus fere etiam ea, quae codice hoc exhibentur, retulisse neque veri dissimile est, eum verba illa, quae tamquam intexebat operi suo tam amplo, ex libro incogniti auctoris hausta attulisse.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000023

ملك من ملوك الفرس واباؤهم الاعاجم كيمرت الخ et primum quidem tractatur de regibus e gente Pishdadica ortis p. 51—81.

Eorum primus, qui non solum Persarum parens praedicatur sed etiam fuisse نهاية النسب لا نسب فوقه dicitur, fuit Kayumarth (كيمرت rarius كيومرث). Alteram vero illarum sententiarum, qua contenditur fuisse idem atque Adam, saepius auctor reprobavit, ostendens, eum neminem fuisse nisi Noachi nepotem خامر بن يافث, qui post linguarum perturbationem in regiones ad orientem spectantes demigrasset ibique Deo avi supplicationibus[1]) pro nepote factis annuente adeo polluisset ut rex tandem agnitus esset. Eius tam prosperae conditionis participes sunt fratres ʿElam et Mâdi, quos ipse ut secum convenirent invitabat. Plura ex vetere Testamento afferuntur verba quae ad illos pertinere putat (conf. cap. V). In regnum ei successit ex prole eius tam numerabili Ushâhang (اوشاهنج) pag. 57 sqq.[2]) qui primus بيشداذ[3]) cognominatus esse dicitur. Tertius regnavit Ṭahmurath (طهمورث) p. 58 sqq.[4]). Eius aetate exstitit homo quidam cuius nomen erat بوداساف[5]) qui homines ut Ṣabaeorum religionem exciperent alliciebat. Gʿamshîd (جم الشيد) p. 59 sqq. sicut qui ei antecedebant summum contulit studium curamque assiduam in terram prosperandam[6]). Subiectos in quatuor ordines distribuit. Daemones qui admodum homines

---

[1]) Preces eius naturae nonnullae, quas auctore Ahmad ibn ʿAbdallah Alingîlî propheta Iesaias dicitur in libro دبر يامين الجامع (vide cap. V) tradidisse, afferuntur p. 53 sqq. Refert auctor, quid David pro Salomone, Abraham pro Isaaco, Hagar pro Ismaele sint precati a Deo, amplissima autem est Noachi pro nepote supplicatio.

[2]) Ibn al-athîr l. c. I p. ۴۱ infra وقال غيره الخ idem verbotenus fere exhibet. cf. Firdôsi ed. Mohl I p. 39 sqq.

[3]) Hoc nomen ita auctor explicat: وكان ملقبا بيشداذ لانه يقال بالفارسية لاول الشى باش وللحكيم داذ. Ibn al-athîr l. c. بيش pro باش.

[4]) Ibn al-athîr I, ۴۳ sq. Ushâhang traditur primus (quod quidem subaudiendum est) scripsisse بالاعجمية (Athîr p. ۴۴ كتب بالفارسية. Conferatur amplior apud Firdôsi fabula (I, 45 sq.)

[5]) Ibn al-athîr l. c. بيوراسب. De nomine huius hominis, qui nemo esse videtur nisi Buddha (Buddhasâkya = بوداصاف), accuratius disseruit Chwolson Ssabier I p. 797 sqq. cf. I, p. 207 sq. (II, 645 annot.; I, 799 de بيوراسب).

[6]) Ibn al-athîr I p. 46, qui pari modo ac Firdôsi I, p. 49 sqq. tradit, regem quinquagenis annis singulas res efficiendas suscepisse.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000024

vexabant, subjugati ad varia coguntur perficienda negotia [1]). Mente denique captus divinum sibi vindicavit cultum, sed ab eo inde tempore cum Deus eum desereret rebelles exstiterunt frater eius et homo quidam qui nomen habebat بيوراسف. Hic postquam regem interemit, imperium usurpavit. p. 61 sqq. Peiverâsp, qui الازدهاق vel الاجدهاك vel الضحاك cognominatus est, pravae erat indolis, terror subiectis et ab utraque faciei parte habuisse dicitur aliquid animalis instar serpentis more motitantis quo vehementer perterreret homines [2]). Tandem duce Kâbi Ispahanensi praelatoque vexillo quod درفش كابيان vocatur, a tanto hominis monstro liberantur et Feridûn rex instituitur. Semel saltem auctor narrat regem populi querelas exaudivisse promisisseque se quod iustum esset facturum esse [3]). Huic narrationi inserta est ampla de regibus e gente Nimrodi nabataeis expositio [4]). Feridûn [5]) (فريدون) p. 69 sqq., qui optimus omnium Persarum regum laudatur [6]), id maxime egit ut ea quae Dhohâk corruperat in integrum

---

[1]) Ibn al-athîr l. c. Firdôsi l. c. idem fere.

[2]) p. 62 auctor aliis opinionibus refutatis asseverat, quae animalia haberentur e genis eius quasi enata, ea fuisse dumtaxat لحمتين طويلتين نابتتين على منكبيه كل واحدة منهما كرأس الثعبان الخ itemque rem explicat Ibn al-athîr I p. ٥٣ med. Firdôsi I p. 63 tradit osculo diaboli enatos esse serpentes. Ceterum ad historiam huius regis conferas Ibn al-athîr I p. ٥٢ sqq.

[3]) Idem affert Ibn al-athîr I, p. ٥٢ Lin. 1 (infra) sqq. incipiens: وزعموا انهم لم يسمعوا الخ Auctor pag. 66 (med.): وكلما ... يذكر عن الضحاك من سيرة قبيحة او فعل غير حميد لا يستحسن ما خلا حديثا واحدا الخ.

[4]) p. 62—64. Exposuit vero quid de his regibus tradiderit Abu g'a'far Zerâdusht ibn Ahra almobed nec omisit ex aliis fontibus hausta.

[5]) Pater huius regis eodem nomine atque novem eius fratres appellatus fuisse dicitur, distincti vero esse cognominibus quae accurate et afferuntur et explicantur in codice. Nomen iis commune ابقبان erat. Ibn al-athîr, qui de hoc rege I p. ٥٩ sqq. egit, illud nomen اثغبان exaravit, cognominum vero exemplum solummodo exhibuit.

[6]) Haec sunt mentione digna: وكان فرودون (sic) اول من سمى بالكبية وقيل له كى فروردون (sic) وتفسير الكبية ايضا انها ضرب من التنزيه (non certum est) كما يقال روحانى يذهبون فى ذلك الى

restitueret. Iam vivus inter tres suos filios quorum nomina طوح ايرج سلم erant, distribuit regnum[1]). Minimus autem natu ille a fratribus invidiâ regnique eius cupiditate incensis una cum filiis duobus servata solummodo filia necatus est. Ex eius vero gente ortus Minug'ihr (منوجهر) rex ab avo designatur, (p. 73 sqq.) qui publice promisit se necem patris prorsus ulturum esse. Bello idcirco exardescente contra Turcas apud quos degebant avunculi interfectores interimuntur ac Turcarum rex Frâsyât superatur[2]). Quo facto Minug'ihr assidue prospicit prosperitati patriae augendae confirmandaeque. Turca autem ille cum rursus regiones Persarum confines invaderet et devastaret rex traditur eos, quibus illas provincias gubernandas mandarat convocatos maxime increpuisse propter vigilantiam neglectam atque oratione ampla satisque polita[3]) docuisse quae essent iura officiaque cum gubernatorum erga gubernatos tum populi erga reges; quibus quidem religiose ab utrisque observatis solummodo fieri posse ut civitates et fortunarentur et ita corroborarentur ut fortiter hostes externi averterentur. Usurpavit post eum imperium Turca ille e gente Ṭûh (Ṭûr) Frâsyât (فراسيات[4]) p. 78 qui vehementissime oppressit populum donec expellebatur ab uno e prognatis Minug'ihr regis, cui nomen

---

الخلوص والى ان امره امر مخلص منزّة متصل بالروحانية, idem Ibn al-athîr (p. 59) indicaturus videtur cum dicat: وقيل انه اول من سمى الصوفى

[1]) Firdôsi I p. 139 sq. — Ubique طوح exaratum deprehenditur, quod a Persis طور scribi solet. Tertii filii nomen his tribus formis exaratum est: ايرج, ايزج, هيزج.

[2]) Ibn al-athîr I p. ١١٩ med. ubi verbis وقال غير هشام narrationem continuat. Sententia Firdôsii (I p. 191 sq.) tunc tempore nondum rex Turcarum erat.

[3]) p. 75 sq. Ibn al-athîr I p. ١١v orationem iisdem fere verbis retulit sed annotans وهى خطبة طويلة eam non plane exposuit. In Firdôsii libro eam non reperimus.

[4]) Secundum Firdôsi I, p. 383 sqq. Minug'ihr excipitur a filio Newder (نودر), cuius nomen in genealogia regis Zaw obvium est et in codice quidem بودر semper scriptum. — De Frasyât vel Afrasyab (quae forma in codice nunquam reperitur) vide Ibn al-athîr I p. ١٣٥. — Maiores eius p. 79 ita exponuntur: فراسيات بن فسيج بن بودل الخ. Nomen فسيج perperam exaratum emendandum est legendumque فسنج vel فشنج (cf. Ibn al-athîr l. c.), apud Persas پشنگ.

erat Zaw (زو)[1]), qui cum rex factus erat (p. 79 sqq.) maxime spectabat ut integrum redderet, quod detrimenti patria ex Turcae oppressione ceperat. Vezirum habebat Kershâsp (کرشاسف) quendam[2]).

Iam vero qui e gente Kayanidarum erant reges enumerantur eorumque historia exponitur. p. 81—108.

Primus erat Kayqobâd[3]) (کی قباذ) p. 81 sqq. rex optima indole consilioque maxime laudato, qui cum intelligeret ut patria summa uteretur prosperitate necesse esse, tutam eam esse ab hostium devastationibus continuis, prae ceteris Turcas Persis infestissimos debellare studebat. Quo feliciter perfecto summam assiduamque curam in regno quam optime administrando consumsit. In regnum successit Kayqâûs (کیقاوس) p. 82 sqq.[4]), cuius filius Siyâwush (سیاوش) educatus a praeclaro Seg'estâni principe Rustam ibn Dastân, praeditus eximiis animi facultatibus virtutibusque ipsius patris uxoris machinationibus a patre abalienatus contra Turcas cum exercitu missus est et coactus refugit ad regem illorum, sed tandem necatus est[5]). Propter eius necem Kay qâûs bellum Turcis intulit. Rex autem ipse sub finem vitae mente captus cum nimis crudeliter in magnates saeviret variis multisque calamitatibus deprehensus esse dicitur. Post eum rebus praefuit Kaychosrau (کیخسرو) p. 85 sqq.[6]). Bello rursus cum Turcis orto, postquam Persae tum certo tum incerto Marte pugnarunt[7]), Frâsyât

---

[1]) Auctor haec addit; وقد سمی ایضا حین اعرب اسمه زاب وقال بعضهم زه٦ de eius historia cf. Ibn al-athîr I p. ١٣٥ sq.

[2]) Kershâsp regem fuisse post Zaw Firdôsi I p. 441 tradit. Auctor autem eam opinionem reprobat, cum de eo dicat p. 81; وکان له (scil. لزو) معاونا الا انه لم یملک Cui plane assentitur Ibn al-athîr I p. ١٣٩ cum refellat, eum etiam fuisse شریکه فی الملک dicatque eum fuisse potius وزیره فی ملکه ومعینه فیه.

[3]) Ibn al-athîr I p. ١٣٩.

[4]) Ibn al-athîr I p. ١٧٠ idem fere narrat sed a media inde p. ١٧٣ alia nonnulla addit atque quae rex perpessus esse dicitur mala codice quidem indicantur (p. 84) ab illo vero fusius referuntur.

[5]) Siyawushi historiam, quam auctor quasi adumbravit, reperis accuratius Firdôsi II, p. 195 sqq. expositam, deque rebus praecipuis consentiunt.

[6]) brevius idem refert Ibn al-athîr I p. ١٧٣ sq.

[7]) p. 90 sqq. narratur, regem post victoriam quam de Turcis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000027

tandem fugatur capitur necatur[1]). Deinde auctore Abug'a'far zerâdusht enumerantur qui e gente Kayanidica orti cum rege arma ferebant contra Turcas. Vitae autem termino magis magisque appropinquante imperio se abdicavit ut divinum cultum curaret, decessitque, nescitur ubi mortuus sit (p. 95). Regem vero instituit Kaybuhrâsp (کی بهراسف)[2]) p. 96, qui cum pax cum externis regibus constituta esset, maxime consuluit rebus domesticis et prosperandis et firmandis. Mentio facta est expeditionis quam Nebucadnezar contra Iudaeam suscipiebat missus a rege[3]). Viribus autem decrescentibus Buhrasp imperium filio mandavit Kaybustâsb (کی بستاسب) p. 97 sqq.[4]). Qui quidem pagis singulis singulos praefecit gubernatores cultumque ignis templis exstructis multis auxit et confirmavit. Eius enim aetate postquam triginta annos regnarat exstitit Zoroaster[5]) (زرادشت) cuius religionem rex accipiebat. Atque ab eo instigatus pacem quam cum Turcarum rege حرزاسف[6]) fecerat rupit belloque denuo exardescente postquam plures expeditiones contra hostes fecit, tandem duce regis filio Isfendiyâr, qui hominis cuiusdam[7]) calumniis per aliquod tempus

---

G'udarz (جودرز) reportarat, cum adstaret Turcis principibus cum mortuis tum captivis, orationes plerumque reprehensionis plenas habuisse quod arma tulissent contra ipsum. Orationes vero accurate exposuit auctor.

[1]) Captus est in Aderbaig'ân. conf. Firdôsi IV p. 206 sq.

[2]) Nomen huius regis exceptis duobus locis (p. 99 et 112) semper بهراسف legitur. Illis duobus locis forma usitatior لهراسف obvia est. cf. Ibn al-athîr I p. ١٧٥ annot. 1, ubi editor dixit, in eius libri codice Berolinensi et Musei Britannici ubique بهراسب inveniri. — Historiam eius item fere exposuit Ibn al-athîr I p. ١٨٠ sq.

[3]) Maṣûdî ed. Paris. II. p. 121 sq. Ibn al-athîr I p. ١٨٣ med.

[4]) Ibn al-athîr I p. ١٩١ sqq.

[5]) Ibn al-athîr I p. ١٨١ sq. multo copiosius res huius prophetae exposuit.

[6]) حرزاسف in codice legimus fuisse fratris Frâsyât regis filium, Ibn al-athîr vero (p. ١٩٢) opinatur eum fuisse ipsum illius fratrem, et Firdôsi IV p. 366 sq. tradit, regem arma tulisse contra ارجاسپ regem چین.

[7]) Nomen hominis illius, quod ab Ibn al-athîro omittitur, in codice est قرزن et idem fortasse opinor esse atque کرزم cf. Firdôsi IV p. 432.

a patre abalienatus immo vinculis constrictus erat, vexillo praeclaro evoluto plane Turcae devicti sunt eorumque provinciis ex ipsis Turcis, qui fide digni videbantur, praefecti. Isfendiyâr pravo ut videtur consilio (حسدا له على ما ظهر منه الخ p. 102 med.) a patre contra Rustam missus diem obiit[1]). In regnum successit Kay Ardashîr Bahman (p. 103 sqq.), qui Longimanus (الطويل الباع)[2]) cognominatus est. Matrem habuisse dicitur استوريا (Esteram) Hebraeam et in matrimonium راحب Zerubabelis sororem; cui mandavit aechmalotarchiam (vide supra p. 13 annot. 2, b) Iudaeorum. Mortem patris vindicavit cum plane Rustam devinceret et necaret. Excipitur ab ipsius filia Chomânî (خمانى)[3]) p. 105 sq. regina egregia pulchritudine ingenioque et virtute praedita. Ab ipso patre gravida[4]) peperit Dârâ ibn Bahman, quem infantem regnandi nimia cupiditate seducta in cista auro aliisque rebus pretiosis exornata positum in flumen exponendum curavit, sed repertus a molitore quodam servatur educaturque. Tandem adulto filio mater illud prave factum confessa imperium tradidit. Regina fortiter feliciterque dicitur hostes imprimisque Graecos (الروم) debellasse. Tum rebus praefuit Dârâ ibn Bahman (p. 106)[5]). Praeter alia pauca dissidium commemorat quod exortum esse fertur inter vezirum رسبين regisque filii educatorem بيبرى, in quo hic

---

[1]) In codice p. 103 narratur, Iudaeum quendam cui nomen erat سمى (!) cum Zoroastro doctoque quodam Persa G'âmâsb de religione in urbe Balch disputasse, brevius idem retulit Ibn al-athîr I, p. ۱۹۴. Quae res in librum حسبن عيلم (de quo vide cap. V) relata dicitur. Praeterea addit Persarum reges antequam Bustâsb religionem novam amplecteretur, Sabaeorum religioni deditos fuisse. — P. 102 attulit breviter, Persas ab anno quo Zoroaster exstitit usque ad necem Iezdeg'erdis Sâsânidae ultimi mille annos computasse.

[2]) Ibn al-athîr p. I ۱۹۵. Cognomen illud ita explicatur: وانما نبز بذلك لتناوله كل ما مد اليه يده من الممالك التى حوله حتى ملك الاقاليم كلها (p. 103 infra).

[3]) Parimodo nomen ubique exaratum est. Ibn al-athîr I, p. ۱۹۶ sq. qui et ipse خمانى scripsit. — Cognominata est haec شهارزاد, Ibn al-athîr l. c. شهرزاد Firdôsi V, p. 20 sqq. چهرزاد.

[4]) Rem hanc tam foedam auctor diligenter moribus Persarum excusat.

[5]) Ibn al-athîr I, p. ۱۹۷. Cognomen eius جهارزاد explicatur verbis الكريم الطبع.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000029

illo regem impellente diem obiit. Qua re factum est ut filius qui summa amplectebatur caritate magistrum, odio imbueretur vehementi in omnes magnates [1]), quorum quidem cum ipse Dârâ ibn Dârâ rex factus esset (p. 106 sqq.) [2]) creassetque Vezirum magistri interfecti fratrem, magnum numerum gladio obnoxium fecit. Quamobrem terror subiectorum evasit. Deinde fusius enarratur quid inter Alexandrum Macedonem illumque acciderit, quidque Dara sica percussus moriturus illi mandarit (p. 107). — Alexander fidem servans statim regis interfectores necandos curavit et in matrimonium duxit Roxanen (روشنک) eius filiam [3]).

Dârâ mortuo Alexander [4]) regnum obtinuit (p. 108 sq.) Duodecim quas condidit urbes enumerantur [5]). Templa ignis diruit sacerdotes necavit libros Persis sacros perdidit [6]). Libros tantum quibus de rebus medicis et astrologicis [7]) aliisque tractabatur conservandos in vernaculam linguam transferendos in Europamque transportandos curavit. Ex India denique reversus in Babel urbe subito mortuus est et in Alexandria sepultus ubi commorata esse dicitur mater eius.

Tertio auctor de partium qui dicuntur regibus (ملوک الطوائف) imprimisque de Ascanidis tractavit p. 109—111.

Permulti erant reges partium ab Alexandro instituti. Unus autem ex iis, qui imperabat provinciis Ispahân Mediaeque, adeo prae ceteris pollebat ut ipse et qui ei succedebant کالرئیس علی سائر ملوک الطوائف agnosceretur, Ask [8]) e gente regia ortus. Ce-

---

[1]) Id neque in libro regum Firdôsii neque in libro Ibn al-athîri reperitur.

[2]) Ibn al-athîr I p. ۱۹۷. Hoc loco non adeo consentit cum codice. Quod dico non tam de rebus quas attulit quam de verbis quibus quidem alias admodum cum auctore convenit.

[3]) Ibn al-athîr I p. ۱۹۹ in historia Alexandri verba codice exhibita satis accurate tradidit.

[4]) Genealogia secundum Magorum sententiam ad Feridûn eiusque filium Salm reducta obiter commemoratur.

[5]) Ibn al-athîr idem refert I p. ۲۰۳ lin. 2 (infra).

[6]) Ibn al-athîr I p. ۲۰۰ med. (وتقدم بهدم حصون فارس الخ) idem attulit, cuius paginae verba quae ultima cum verbis codicis conveniunt haec sunt; وسار منها الی الصین .....

[7]) Ibn al-athîr I p. ۲۰۰ supra lin. 2—4.

[8]) De genealogia huius maxime dissentiunt. Alii censent originem duxisse eum a Bustâsb rege, alii fuisse e prognatis Dârâ

teris ob eam causam praetermissis hanc Ascanidarum gentem solam exponunt et chronographi et historici. Regnarunt autem omnino 266 annos, quibus exactis Sâsânidae rerum potiti sunt. Anno vero eorum aetatis quinquagesimo primo Christus natus esse dicitur[1]).

Post haec de quarta regum gente Sâsânidarum tractatur p. 111—168.

Eorum primus Ardashîr ibn Bâbek (p. 111 sqq.)[2]), oriundus e gente regum antiquissima, a patre, qui pariter atque avus templo ignis in Iṣṭakhr praefuisse fertur, regis Iṣṭakhrensis eunucho ad educandum traditus educatori in munus quod dicitur ارجبذ[3]) successit. Ab astrologis tandem et angelo ei in somnio

ibn Dârâ, alii e gente قباذ بن كى انية كى (de quo vide cod. p. 71 infra).

[1]) Si quis accuratius velit cognoscere quae res, immo quae verba in codice de his rebus exhibitae sint, delegetur ad Ibn al-athîr I p. ۲۰۹ v. 1 infra sqq. (وقال بعضهم ملك الخ), qui paucis dumtaxat omissis idem retulit. Mirum autem est, quod in eius expositione ex Ascanidis unus, qui quidem alio fere nullo loco deprehenditur, desideratur; de rege qui ultimo Ardawâno praecedebat dico qui nomen habuisse fertur بهافريد, cuius loco aliis in libris بلاش quidam reperitur. Nomen vero idem in ampliore quidem regum horum expositione obvium est, in Hamzae Ispahanensis annalibus ed. Gottwaldt cap. III (cf. Albîrûnî, Chronologie orientalischer Voelker ed. Sachau Lips. 1876 p. ۱۱٥). Dolendum est quod nec auctor nec Ibn al-athîr indicavit unde hanc Ascanidarum enumerationem hauserit. Etenim si ea cum aliis quas haud paucas habemus apud alios scriptores comparatur, nulli fere satis congrua cernitur, modo ne praetermittamus, quem Abulfeda in „historia anteislamica“ pag. 80 exposuit ordinem regum Ascanidarum; annis videlicet, quos regnasse videntur, alio modo dispositis altera tabula cum altera consentit, neque tamen apud eum reperitur nomen regis Bahâfarîd. De hac autem re fusius disputandi copia nunc data non est. Accuratius tractavit de Ascanidarum ordine von Gutschmidt in ‚Ersch u. Gruber, Encyclopaedie‘ parte LXXV s. v. Gotarzes.

[2]) Eaedem res iisdem fere verbis traduntur apud Ibn al-athîr I p. ۲۷۳ sqq.

[3]) cod. ارخندا sed emendandum est. De hoc nomine quod idem est atque ارگ بد = ἀργαπέτης (nostrum „Burgherr“) cf. Nöldeke in ZDMG. XXIV, 1870 p. 107.

apparente persuasus se ut rex fieret esse destinatum regulorum magnum numerum impetere coepit[1]) et devincere et coniuratione a cognatis eius facta plane oppressa regiam sibi imposuit coronam. Ardawân autem ultimus e gente ascanidica rex postquam ab illo debellatus est ac necatus, Ardashîr imperator ab omnibus agnitus est eiusque potentia tanta evasit ut ipsi reges finitimi submissionem sua sponte profiterentur. Iam vivus postquam 14 annos regnarat, filium successorem instituit Sâbûr I (p. 118 sqq.) qui egregiis virtutibus exornatus tam amplum imperium a patre comparatum confirmabat cum rerum ordinem assiduo studio servaret subditorumque salutem omni modo augeret. Expeditionem contra Romanorum imperatorem Valerianum[2]) susceptam, seditione quae in provincia Chorasân exorebatur interim sedata, fauste peregit, cepit Nisibin et Antiochiam captivumque ipsum imperatorem secum duxit ac iussit, illum suis sumptibus urbem Shâdrawân exstruere; quo facto manumissus est[3]). Ipse rex duas aedificandas curavit urbes G'undîsâbûr et Shâdsâbûr[4]). Eius aetate exstitit Manes. Regnavit 30 a. 15 d. Successit in regnum Hormuz I (p. 121 sqq.)[5]) qui fertur avo fortitudine ac robore similis fuisse dissimilis autem ingenio prudentiaque. Natus erat e filia regis cuiusdam ab Ardashîro devicti مهرك (vel مهزل), quae quînam factum sit ut Sâburo nuberet, quamquam Ardashîr totam eius gentem exstirpaturus erat, et quae de filio ex ea nato Hormuz traderentur longius expositum est. Hormuz praefectus provinciae Chorasân dextra abscissa suspicionem quam pater

---

[1]) p. 118 legitur, Ardashîrum priusquam cum ceteris regibus conflixerit iisdem epistulas misisse quibus posceret, ut sua sponte se submitterent.

[2]) Ibn al-athîr I p. ٣٧٧ sq. Tabari, chronique trad. par Zotenberg II, p. 79 sq. Rawlinson, the seventh persian monarchy, London 1876 p. 80 sq.

[3]) Auctor retulit, secundum alios imperatorem esse necatum, alios, eum esse naso mutilatum (cf. Tab. l. c.) remissum. conf. Rawlinson l. c. p. 86 sq.

[4]) Altera urbs appellari dicitur etiam بيلاقر, quia eius qui aedificationi praeerat nomen erat بيل, quocum quid rex sit collocutus ante urbem condendam longius narratur; altera nabataice nominari fertur رحاه vel رخاه conf. Hamzae annales p. 49 (وبهما).

[5]) Athîr I p. ٢٧٩ sqq. Tab. II p. 85 sqq. Cognominabatur الحرى = liberalis (idem a Khondemîr in Richter, Arsaciden und Sâsâniden traditur). Ab aliis البطل (heros) cognomine praeditus est.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000032

in eum ceperat, quasi esset summum imperium usurpaturus, removit, sed quamquam ita legibus prohibebatur ne rex fieret, tamen a patre qui praematuram excusabat maxime suspicionem, successor constitutus regnavit per 1. a. 10. d. — Post eum rebus praefuit Bahram I (p. 123)[1]), rex praeclarus et laudatus, qui Manetem, cuius res tamquam diabolicas cognoscebat, interfici iussit eiusque cutem portae urbis G'undîsâbûr affigi, inde appellatae باب المان[2]). Postquam regnavit 3 a. 3 m. 3 d. excipitur a filio Bahram II (p. 124)[3]) qui per 18 annos optime gubernasse dicitur. Cui successit in regnum Bahram III Kermânshah[4]) et 4 annos regnavit. Eiusque frater Narsî[5]) (p. 124) per 9 annos fauste rebus praefuit. Ab eo autem qui tum imperium obtinuit, Hormuz II[6]) (p. 124) populus maxime metuebat propter pravam indolem, sed fallebatur. Indole enim plane commutata diligentius civitatis auxit salutem. Mortuus 6 a. 5 m. regni peractis neminem qui haeres esset imperii reliquit, de qua re vehementissime populus dolebat sed exhilarabatur cum audiret gravidam esse unam ex uxoribus regis. Peperit autem Sâbûrum II qui cognomine cognitus est Du-l-aktâf[7]) (p. 125 sqq.). Quo infante quamquam suo quisque munere cui praefectus erat a rege tunc mortuo fungebatur, hostes externi et Turcae et Arabes et Graeci Persarum fines admodum vastabant, donec rex adultus, postquam saepius iam infans se praeclaro ingenio esse prudentiaque singulari ostenderat[8]), atque instructus erat optime rebus ad regnandum pertinentibus, sedecim annos natus hostes non solum e finibus eiiciebat

---

[1]) Athîr I p. ٢٨٠. Tab. II p. 89 sq.

[2]) Ibn al-athîr l. c. باب مانى. — cf. Kitâb al-Fihrist ed. Fluegel I p. ٣٣٥, ubi المان e cod. Leyd. restituendum videtur.

[3]) Athîr I p. ٢٨٠. — Tab. II p. 90 hunc regem Bahram II praetermisisse videtur. Mirkhond in de Sacy, antiquités de la Perse p. 297, Maṣûdî II, p. 168 (cf. Rawlinson l. c. p. 107 sq.) referunt, eum primo tyranni ratione saevisse, cui contrarium est quod codice traditur et ab Ibn al-athîro.

[4]) Athîr I p. ٢٨٠, brevissime Tab. II p. 90.

[5]) Athîr I p. ٢٨١. Disputatur num sit frater regis antecedentis cf. Rawlinson, p. 116 annot. 1.

[6]) Athîr I p. ٢٨١, copiosius Tab. II p. 90.

[7]) Athîr I p. ٢٨١ sqq. Tab. II p. 91 sqq. In codice nusquam cognomen illud accuratius explicatur.

[8]) Athîr l. c.; Tab. II p. 92 sq. idem fere retulit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000033

sed etiam Arabiam ad Medinam usque subiugabat. Inde cum ut Graecos impeteret in Syriam se conferret, simulato mendicantis habitu et ipse Constantinopolim ut ipsum imperatorem cognosceret profectus recognoscitur vinciturque. Liberatus autem in expeditione quam statim imperator contra Persas susceperat, et urbem G'undîsâbûr a Graecis oppugnatam liberavit et Graecis ipsis plane devictis imperatorem cepit. Qui postquam quaecumque diruta ab eo erant refecit, calcium nervis discissis in asino positus domum turpi modo remittitur [1]). Quo facto fines Graecorum invadit victorque rediit, dum Arabes pacem petunt permultique eorum in Persarum urbes transponuntur [2]). Medicos ex India venientes in urbe الكرخ pagi السوس collocasse dicitur [3]). Cui expositioni alios ut videtur secundum fontes addit haec: Sâbûr cum Constantino Magno inducias fecit. Constantini, qui primus religionem christianam accepit, filiis tribus in regnum successit Iulianus quem nunquam auctor docet fuisse christianum, operam potius dedisse ut veterem religionem restitueret. Iulianus ab Arabibus adiutus Persarum fines invadebat Ctesiphontemque cepit, sed dum de pace agebatur necopinato sagitta nescitur unde iacta sit perculsus diem obiit imperator. Summum imperium postea obtinuit Yûsânûs (Iovinianus), qui pace Romanis haud grata facta Persis Nisibin tradebat, in quam transferuntur permultae Persarum familiae [4]). Sâbûr mortuus est post-

---

[1]) Tab. II p. 101 Athîr l. c. — additur vero in codice (p. 129): ولذلك تركت الروم اتخاذ الاعقاب للخفاف وربق الدواب conf. Masûdî l. c. pag. 184.

[2]) Tab. II p. 101.

[3]) Haec res nec ab Ibn al-athîro nec a Tabarî narratur. Verba codicis haec sunt: ونقل اليه طبيبا من الهند فاسكنه الكرخ من السوس فلما مات ورث اهل السوس طبه ولذلك صار اهل تلك الناحية أطب الاعاجم ۞

[4]) Verbotenus fere idem Ibn al-athîr I p. ٢٨٣ exposuit; Tabari (II, p. 95 sqq.) nihil de induciis cum Constantino factis tradidit expeditionemque Iuliani ante illam quam supra auctor enarrabat susceptam esse jure exposuit. Mirkhond (l. c. p. 314 sqq.) imperatorem, quocum agebat de pace vel induciis, pariter atque auctor Constantinum appellavit. Ceterum conferas quod Rawlinson l. c. p. 148 (annot. 3) retulit. — Nomen illud Yûsânûs perperam punctis exaratum est, recte scriptum reperitur in Abulfedae hist. anteisl. p. 84 = يونيبانوس. Literae codice exhibitae legendae sunt يوينيبانوس.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000034

quam 72 a. rex fuit. Excipitur a fratre Ardashîro II (p. 130) qui haud destitutus virtute fuisse praedicatur[1]). Regnabat 4 annos. Successit Sâbûr III filius Sâbûri II. (p. 130) qui omnem in augenda reipublicae salute posuisse dicitur curam itaque fauste[2]) imperavit per 5 annos. Tum eius frater Bahram IV Kermânshah (p. 131) optime 11 annos regnavit[3]). Excipitur a Iezdeg'erd qui الخشن vel الاثيم cognominatur (p. 131 sqq.), homine pravae indolis molestaeque crudelitatis neque valuit vezîrus Narsî ut eum ad melius agendum converteret. Tandem vero narrant Deo supplicationibus populi maxime oppressi ardentibus annuente, tyrannum equo quodam fabuloso ita concussum esse ut illico moreretur, postquam iam 22 a. 5 m. 16 d. cives vexarat[4]). Successit ei filius eius Bahram V g'ûr (p. 132 sqq.) qui iussu patris educabatur ab Arabum Persis subditorum principe Almundir ibn Al-no'mân. Patre vero mortuo propterea quod filium eadem ratione regnaturum esse atque patrem cogitabant, ad coronam sibi imponendam filius non revocatur, sed Arabum copiis adiutus in Persarum fines invadit tandemque, Kesra qui eius loco rex factus erat se regio munere abdicante, agnoscitur ea quidem conditione ut nisi uno tantum anno exacto quaecunque promisit plane perfecerit sua sponte throno

[1]) De indole huius regis Mirkhond l. c. p. 317. 318 cum auctore consentit, dissentiunt autem Athîr I p. ٣٨٥. Tab. II p. 102 Masûdî II. p. 189.

[2]) De morte regi per milites rebelles vel tentorio corruto affecta in codice nihil affertur.

[3]) Etiam hic rex rebellione inter milites exorta interemtus esse dicitur conf. Tab. II p. 103. Mirkhond l. c. p. 320. Athîr I p. ٣٨٩.

[4]) Indoles huius regis diverso modo describitur. Auctor tradit, nunquam ab eo aliquid boni exspectasse populum, cum alii (Tab. II p. 103 sqq. Mirkhond l. c. p. 321) exponant, eum cum imperium susciperet, virtutibus non caruisse, sed brevi tempore ad pessime populum tractandum se convertisse. Cogitatu autem difficile est, hominem haud pravae indolis tam celeriter omnino fere commutatum esse, ut ab omnibus maxime metueretur, nisi eo quod populus obstinacia inobedientiaque uteretur, esset tamquam coactus. Id quod filius eius (in codice p. 135) de tanta patris crudelitate censuisse videtur. cf. Tab. II p. 121. 122. cui quidem non prorsus convenit quod legimus Tab. II p. 116. De eadem re disseruit Rawlinson l. c. p. 279. 280.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000035

sit decessurus. Idcirco operam dedit ut conditionem reipublicae a patre maxime depravatam salvam redderet, vectigalia diminuit, stipendia militum auxit, ordines magnatum confirmavit, quin etiam quae restabant proximorum annorum vectigalia abrogavit. Turcae qui duce Châqâno fines transgrediebantur, a rege fugantur finibusque accurate descriptis tributarii fiunt. Redux autem populo imperat ut nunquam relinquat obedientiam firmissimam, sinsecus se multo vehementius patre promittit eum tractaturum esse, utpote cum ille non nisi inobedientia civium lacessitus sit ut adeo patriam cruciaret[1]). — Aliis praeterea compluribus rebus a rege gestis enarratis de itinere eius in Indiam facto agitur traditurque, eum Vezîrum Narsî, qui ab omnibus propter generis nobilitatem et virtutes egregias maximo honore dignus habebatur, Byzantium ut ab imperatore tributum Persis debitum exigeret misisse neque frustra id fecisse[2]). Regnavit vero 23 a. 10 m. 20 d. Post eum rebus publicis praefuit Iezdegerd II. (p. 141). — Quo regnante Narsî iterum eandem ob causam Constantinopolin profectus est. Regi qui 18 a. 4 m. regnabat, successit Fîrûz (p. 141 sqq.) postquam frater Hormuz[3]) qui et ipse regnum affectabat, devictus erat. Septem eius prioribus annis magna defatigatus est populus fame. Expeditionem quam contra اخسنوار Haiṭalicorum regem suscipiebat infauste cum dolo hostium coactus quodam pacem peteret finivit, sed redux in patriam, quamquam promiserat, sese nunquam bellum denuo illaturum esse hosti illi, tamen cladis ignominiam aegre ferens statim iterum exercitum contra illos duxit atque iterum dolo seductus non ipse solum misere exspiravit, sed etiam exercitus

---

[1]) Haec oratio regis reperitur Tab. II p. 121. 122. Quid sit cur rex ita populum monuerit in codice perspicuum satis non est. Causam clarius exposuit Tabari.

[2]) Tab. II p. 125 sq. Mirkhond l. c. p. 341. Mentione dignum est, hoc solo libri loco imperatorem non nomine usitato قيصر designari sed titulo rariore عظيم الروم. — Auctor p. 139 auctore Mobed quodam cui nomen est أحرا fusius de Veziro Narsî eiusque et filiorum eius rebus et muneribus tractavit. Quod brevius quasi attingitur tantum a Tabari (p. 126). De morte regis infausto (Tab. II p. 126. Mirkhond l. c. Athîr I p. ۲۹۴ cf. Rawlinson p. 298 sq.) in codice nihil expositum est.

[3]) Tab. II p. 127 exponit, Hormuz complures annos regnasse. — Athîr I p. ۲۹۳ sq. Tab. II p. 128 sqq. idem maxime de eo narrant atque auctor.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000036

plane fere devictus est magnaque praeda a barbaris facta, in qua filiae regis ipsae erant. Regis mortem vindicavit quidem Sukhrâ[1]), qui Seg'estân provinciae praefectus erat, omnemque praedam recuperatam domum reportavit. Fîrûz vero regnavit 21 annos. Tum vero fratre Qobâd ad Turcas fugato coronam sibi imposuit Balâsh I (p. 146)[2]) et per 4 annos quam diligentissime civitatis saluti prospexit. Quem excepit frater, qui e Turcarum finibus revertebatur, Qobâd (p. 146 sqq.) Longius narratur quid de eius uxore quam in fuga cognoverat et e qua Anushirwân natus est, traditum sit[3]) et quid apud Turcas egerit ut auxilium contra fratrem assequeretur. Rex factus vezîrum Sukhra illum elegit, sed ut (p. 148) narratur, diebus regis maximam partem exactis moleste homines eum ferebant et eum removere studebant, ad quod facilius assequendum primum vezîrus removendus erat, incitabant ob eam causam regem contra vicarium donec eum interfici iuberet[4]). Quo facto exstitit Mazdaq (مزدق) pravissimus ille, cuius doctrinâ ab inferioris ordinis hominibus lubenter acceptâ omnium rerum ordinem condicionemque iustam plane subversam esse traditur. Qobâd, qui ut acciperet iuvaretque regia auctoritate foeditatem illam a Mazdaqîtis, cum nollet[5]) novas doctrinas amplecti,

---

[1]) Tabari: Sûfrâi; conf. Mirkhond l. c. p. 353: Sûfrâi est nominis forma scriptoribus persicis usitata.

[2]) Athîr I p. ٣٩٩. Tab. II p. 144. Mirkhond l. c. p. 351 idem.

[3]) Athîr I p. ٣٩٨ negat, Qobâd illa prima in fuga matrem Anushirwâni cognovisse, sed potius cum abdicatus iterum fugere cogeretur. cf. Tab. II p. 151.

[4]) Tab. II p. 147 sq. longe aliter causa vezîri removendi exponitur. Illi enim maxime invidebat rex regiam paene auctoritatem qua usus a militibus populoque magis honoraretur quam ipse rex. cf. Athîr I p. ٣٩٧.

[5]) De hac re cum auctore consentit Masûdî l. c. p. 195 sqq. Tabari autem (II p. 148 sqq.) Mirkhond (l. c. p. 353 sqq.) Athîr I p. ٣٩٧ sq. tradunt, regem Qobâd statim Mazdaqitarum doctrinas accepisse, eamque ob causam a magnatibus esse regia dignitate exutum carcereque detentum, restitutum autem tandem a Zarmihr. Perspicuum esse opinamur, Ibn al-athîrum quidem cum haud raro etiam hac in narratione verbis cum codice consentiat duas quae ferebantur traditiones de hac re commiscuisse, quarum altera in codice hoc reperitur altera apud Tabari. Nam verba quae Magnates regi dicentes facit (I p. ٣٩٨ lin. 2. supra), minime puto ab iis dicta esse

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000037

remotus in carcerem deiectus est eiusque loco frater جاماسب per duos annos regio munere functus est, quoad Zarmihr (زرمهر) filius Vezîri Sukhrâ a nobilibus calamitatem a Mazdaqîtis effectam aegre ferentibus adjutus regem et liberaret et in potestatem restitueret, magna hominum scelestorum strage facta. Sed nunc regem contra Zarmihr instigabant assequebanturque ut abominandas doctrinas acciperet. Quo facto brevi tempore provinciae desciscebant, regnique securitas et salus plane perturbabatur. Regnabat autem 43 annos. Successit in regnum filius eius Kesra Anushirwân (p. 150 sqq.)[1]), qui promisit, se vestigia tantae calamitatis a Mazdaqitis effectae deleturum esse neque fefellit. Non enim rebus domesticis solum assidue prospexit, sed etiam operam dedit ut omnem rerum ordinem in integrum restitueret, exstruendisque munimentis atque exercitu optime sustentando observandoque patriae securitatem confirmaret. Commercium iuvit cum vias muniendas et canales effodiendos curaret. Atque in rebus quam diligentissime gubernandis inter omnes quibus commissa erant munera ipse maxime excelluit. Quibus rebus factis fieri certe potuit ut feliciter quoque contra hostes externos susciperet expeditiones. Graecos devicit, Antiochia Heracleaque (عرقل vel عرقلة) urbibus captis ad Alexandriam usque fines romanos occupavit tributariosque obtinuit. Chazaros Arabiaeque partem quae عدن appellatur, superavit, ita ut tandem finibus quibus ampliores nemo ante eum possidebat regum Persarum, imperaret. Postea copiis Turcarum regis, quocum affinitate coniunctus erat, adiutus in Haiṭalicorum fines irrupit victorque rediit. A Iamanensibus petiti Abyssinios, qui Iaman oppri-

---

posse, magis potius esse consentaneum, eadem esse prolata a Mazdaqitis, sicut in codice legitur (p. 149). Accedit quod vix cogitari potest si ita Qobâd patriae interitum iuvasset, Zarmihr operam dedisse ut regem liberaret, immo ad id efficiendum opus fuisse ut Mazdaqitas armis impeteret; unde quidem maxime intelligitur, regem a Mazdaqitis esse in carcere detentum. Quem a Zarmihr esse liberatum restitutumque Tabari ne verbo quidem tradidit, sed fabulam quandam de ea re etiam ab Ibn al-athîro (p. ۲۹۸) allatam proposuit. Contendimus vero quae in codice referuntur veritati magis congrua esse videri quam quae ab aliis traduntur, nec minus, Ibn al-athîrum nec docte nec caute res traditas alias cum aliis coniunxisse.

[1]) Athîr I p. ۳۱۴ sqq. Tab. II p. 159 sqq. idem plerumque narrant. Tabari hic illic copiosius res tractavit.

mebant, vicerunt milites eius, necaveruntque regem illorum Masrûq. Doctorum quoque hominum studiis patrocinatus fuisse dicitur[1]). Sub finem eius aetatis Muhammad natus est. Regnabat 48 annos et excipiebatur a Hormuz III (p. 153 sqq.), qui cum vehementissime saeviret et in magnates et in inferioris ordinis homines, moleste ferebatur. Quod auctor sentit factum esse volente Deo, quo facilior Islamo fieret harum gentium aditus. Impetebatur ab omnibus undique hostibus, quocirca maxime perterritus ducem Bahramg'ûbîn contra Turcas misit, qui marte propitio et regem Turcarum (سابه) debellat et interficit et filium eius qui patrem vindicaturus citissime exercitum compararat, vincit captivumque cum magna praedarum mole ad Hormuz remittit. Narratur autem inter regem et ducem hunc aliquam exstitisse dissensionem itemque filium regis Abarwîz a patre maxime metuisse[2]), ita ut in Aderbaig'ân fugeret ibique a magnatibus rex esset factus patris loco, qui oculis captus imperio exuebatur. Quo facto Abarwîz celerrime ne praeveniretur ab ambitioso Bahram in urbem Madâin profectus coronam sibi imposuit sed bello cum illo exorto coactus suadente ipso patre caeco ad imperatorem graecum Mauricium (موريق) aufugit auxilium petitum. Regnavit autem Hormuz 11 a. 7 m. 10 d. — Kesra Abarwîz (p. 156 sqq.), qui nunc rex factus est, praedicatur virtutibus facultatibusque egregiis fuisse exornatus. Fusius narratur quod iam supra obiter tractatum est, de eius fuga in eaque quid factum sit, docemur. Bahramg'ûbîn absente Abarwîzo per paucos dies regnasse dicitur sed, cum ille permagno Romanorum exercitu[3]) adiutus rediret, proelio fugatus ad Turcas

[1]) cf. Rawlinson p. 448 sqq.

[2]) In codice haud perspicuum est, quid fuerit cur filius a patre metueret. Longe clarius id expositum est a Tabari (II p. 266 sq.). Verba hoc loco non adeo integra servata esse videntur vel potius nonnulla omissa esse. Et putamus p. 155 (lin. 7) post verba وساعدهم على ذلك بعض من كان بحضرة هرمز inserenda esse quae reperiuntur Athîr, I p. ٣٤٢ (infra): وكان غرض بهرام ان يستوحش هرمز من ابنه ابرويز ويستوحش ابنه منه فيختلفان فان ظفر ابرويز بابيه كان امره على بهرام سهلا وان ظفر ابوه نجى بهرام والكلمة مختلفة فينال من هرمز غرضه وكان يحدث نفسه بالاستقلال بالملك فلما علم ابرويز ذلك خاف اباه فهرب الخ quae sequuntur in codice eadem fere leguntur.

[3]) In hoc exercitu erat Theodosius Mauricii frater (p. 161) Tabari autem (II p. 291) eum filium fuisse Caesaris tradit; fieri

aufugit[1]). — Adduntur quaedam cum antecedentibus non plane cohaerentia. Accuratius mentionem facit certaminis singularis inter Abarwîz et Bahram exorti huiusque fugae. Exercitus graecus largiter donatus domum remittitur foedusque cum imperatore pangitur eo consilio ut uterque religionum libertatem nunquam restringendam civibus concedat. Quod cum Magis sane haud gratum esset, rex simile regis Anushirwân cum imperatore pactum[2]) in memoriam revocavit.

Bahram qui apud Turcas degebat machinationibus regis Persarum quibus uxori Châqâni persuadebat ut ad illum removendum iuvaret, interficiebatur eiusque uxor quae e Turcis redibat, ipsi Abarwîz nubebat.

Postquam circiter 20[3]) annos regnavit, Romani seditione facta Mauricium interficiunt et Phocam imperatorem agnoscunt. Abarwîz propterea exercitum ut amicum socerumque ulcisceretur misisse dicitur, atque ut Theodosium illius filium imperatorem faceret. Quod frustra agebat; Phoca quidem remoto tamen non illum sed Heraclium quendam instituunt, qui quidem dum Persarum copiae in Graecorum finibus duce Shahriyâr degebant, clam viisque insolitis in Persarum fines aggrediens per Armeniam Nisibin petebat. Exercitus persicus fugatur, atque tum demum cum Heraclius audiret, Shahriyâr accedere, citissime copias reducit.

Multa verba auctor facit de immensis regis divitiis eiusque luxuria nimia[4]). Atque discimus tandem populum superbia eius crudelitateque et nimiis Vezîri qui homo rudis barbarusque perstringitur, repetundis ita ab eo esse abalienatum ut tyrannidis pertaesi a loco quodam عقر بابل unum ex liberis regis (nempe قباذ شيرويه) adducerent patrisque loco regem agnoscerent. Abarwîz qui se in horto abscondebat captus iussu filii morte qua dignus erat afficitur[5]).

---

certe potest, ut mendum in codice esse coniicias, et in verbis حملها اليه مع بنادوس اخيه emendandum اخيه mutandumque in اخيها (sc. Mariae).

[1]) Hic in codice additur quot annos rex fuerit Abarwîz, quamquam nondum finivit expositionem.

[2]) De hac re apud ceteros scriptores nihil reperi.

[3]) Athîr I p. ٣٤٩. Mirkhond l. c. p. 401 tradunt quatuordecim annos. Tabari de hac re nil habet.

[4]) Athîr I p. ٣٥٩ sq. aliis quidem insertis idem fere enarrat. Tabari II p. 305.

[5]) Athîr l. c. Tabari II p. 328 sqq. Mirkhond l. c. p. 407 sq.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000040

Regnarat vero 38 annos. Eiusque imperii anni 32 mensisque sexti die quinto Muhammad fugisse traditur (p. 166. 170)[1]). Successit in regnum Qobâd Shîrweih. (p. 166 sq.)[2]) qui statim triginta milia hominum a patre in carcerem deiectorum dimittebat vectigaliaque nimia ac molesta diminuebat. Sed quo horridius nihil est, 18 fratres, quorum nomina afferuntur[3]), interfecit. Vezîrum habebat Fîrûz ibn السرمعان[4]). Mox vero gravi morbo correptus scrupuloque propter fratrum necem sibi iniecto vexatus, quin etiam a sororibus Pûrândukht et Azarmîdukht eandem ob causam vehementissime reprehensus postquam 8 menses regnavit, prae dolore maeroreque mortuus est. Tum rex factus est filius eius septem annos natus Ardashîr III (p. 167)[5]), cuius loco Vezîrus مهانر خشنش optime rebus publicis praefuisse dicitur. Sed a duce Shâhriyâr, qui ipse imperium affectabat, necatur rex post 1 a. 6 m. atque per 40 dies tantum Churhân (خرهان)[6]) qui et ipse Shahriyâr nominatur, (p. 168) usurpavit munus regium. Cui interemto successit Abarwîzi filia Pûrân (p. 168), quae aequitate et iustitia usa id maxime agebat ut rempublicam et ordinaret et integram servaret. Oratio quaedam, quam ad magnates optimis consiliis prudentiaque plenam habuisse dicitur, affertur, sed — hoc loco codicis expositio paginis aliquot deperditis abrupta est[7]).

Auctorem omnes Sâsânidas usque ad Iezdeg'erd tractasse, efficitur expositione ad chronologiam universam pertinente quae p. 174 sqq. legitur. Atque in paginis nunc desideratis post p. 168 de his regibus e gente Sâsânidarum ortis tractatum est. Post

---

[1]) Idem retulit Athîr I p. ٣٦., haud accurate hunc annorum numerum exposuerunt Tabari II p. 305, Mirkhond l. c. p. 407.

[2]) Athîr I p. ٣٦٣ (lin. 5 infra) idem fere.

[3]) Tab. (II p. 346 sq.) dicit, 16 fratres esse necatos, Mirkhond (l. c. p. 409) vero 15 tantum eos fuisse docet. Hamza Ispahanensis solus (in annalibus ed. Gottw.) nomina eorum, quos 17 enumerat, sed plerumque ab iis in codice relatis diversa tradidit.

[4]) Ita in codice nomen hoc exaratur, sed emendandum videtur et scribendum البرمغان. Eundem Tab. II, p. 346 appellat Barmak ibn Fîrûz.

[5]) Idem fusius retulit de hoc rege Athîr I p. ٣٦٤ (loco مهانر praebet بهانر). Tab. II p. 347. al.

[6]) Hoc nomen Athîr I, p. ٣٦٤ exaravit فرخان de quo cf. Mirkhond l. c. p. 410.

[7]) conf. supra p. 3 (c.).

Pûrândukht regnavit حسيسده (= خشنشبنده), qui erat ex filiis avunculi cuiusdam regis Abarwîz, circiter 2 menses, deinde Azarmîdukht per 6 menses rebus praefuit, cui succedebat خسروا دران[1]) filius regis Abarwîz, imperioque fungebatur per 6 menses. Ultimus autem Iezdeg'erd 20 annos rex fuit.[2])

Pag. 169 sq., tabula annorum quos reges Persarum regnabant, exhibetur, desunt autem priores sex a Kayumarthe reges, Sâsânidarumque tempore haud ultra annum quo Muhammad fugit tricesimum secundum regis Abarwîz computantur. — Qua re absoluta quae adhuc et prima et secunda libri parte perhibita sunt inter se comparantur indicaturque quanto inter se differant Iudaeorum Christianorumque rationes et Persarum. Deinde a p. 170 inde quae de rebus humanis a Deo cum per prophetas tum per reges gubernatis allata sunt, atque quae ad chronologiam firmius constituendam fusius sunt exposita, ea iam supra p. 7 sq. indicavimus[3]). Periodorum vero spatia inde ab Alexandro liceat nobis paucis exponere. Distat tempus, quo ille Darium superavit, ab anno, quo

---

[1]) Nomen دارد corruptum videtur atque restituendum خرزاد cf. Athîr I p. ٣٦٦ Tabari II p. 352 (Khorzâd).

[2]) Alii praeter illos supra enumeratos reges e gente Sâsânidarum orti in codice (p. 174) non reperiuntur, quamquam ab aliis scriptoribus nonnulli praeterea commemorantur. cf. Athîr I p. ٣٦٦. Tabari II p. 352 sq.

[3]) p. 178 cum plane detersa videatur posteaque a quodam inscripta, necesse est nos hoc loco ostendere, eam nunquam continuisse quaedam verba nunc in libro desiderata. Atque cum accurate considerentur quae p. 177 (infra) et p. 179 (supra) exhibeantur, evidens esse opinamur, eadem optime inter se cohaerere. Verba enim, quibus p. 177 finitur, haec sunt: والذى مضى من زوال امر سليمان الى ابتدائه وزوال امر طالوت الى ابتدائه مما كانت رياسة . . . et incipitur p. 179 his verbis: (و)ملك النبوة الشام لطالوت وداود وسليمان من بقية ملك كيكاوس الخ. Antea vero quam illud (p. 177) legitur, indicatur, Kaykâûs regnasse 45 annos etc., cuius aequales illi Israelitarum reges fuisse dicuntur. Optime profecto رياسة النبوة connectuntur neque, quod gravissimum est, desideratur expositionis chronologicae quidquam. Coniiciendum igitur putamus, p. 178 nunquam a librario esse usui factam atque cogitetur licet, eam olim fuisse ultimam fasciculi (كراسة) paginam neque tamen scimus, quid fuerit cur vacua restaret, ut qui librum quondam habebat nonnulla inscribere posset.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000042

Iesus natus est, 336 annis[1]), unde ad Hierosolyma a Tito diruta 72 anni computantur, atque ab hoc tempore Ascanidae iam regnabant 143 annos circiter, et Sâsânidae ad fugam usque per 402 a. 5 m. 29 d. rebus praefuerunt. Quibus efficitur, Muhammadem sententia auctoris fugisse anno post Christum natum 617 vel 618. (confer codicis p. 182).

Sub finem p. 182 ita exponi pergitur: ذكر احمد بن عبد الله المعروف بالانجيلى بن اخى عبد الله بن سلام مولى رسول الله صلعم ان كيومرث هذا هو خامر بن يافث بن نوح نفسه وذلك ان خامر بن يافث, quibus cum verbis, semotis p. 183—194 in suumque locum relatis, coniungenda sunt quae p. 195 reperiuntur verba prima ... صار الى المشرق فتجبر هناك وتكبر واتخذ السلاح الخ neque deperdita sunt ulla inter illas paginas verba. Afferuntur autem secundum Ahmadem, quae hic ex libro aliquo Ieremiae hausta esse contendebat de rege illo Kayumarthe.

Iam vero in tertia, quam supra p. 7 statuimus, libri parte de Arabum principibus quaedam affert atque p. 195. 196 quidem verbis ثم نقل الله جل وعز الملك منهم (scil. الفرس) الى من كان اولى به منهم نبينا محمد صلعم والخلفاء من بعده الخ orditur exponere qui post Muhammadem fuerint Chalifae et quot quisque annos regnarit. Atque postquam docuit, primum annum Muhammadanorum incipi solere a primo anni mense Almuharram, quamquam propheta fugiebat mense Rabî, Chalifas priores decem, quorum ultimus anno post fugam 87 defunctus est, exponit. Itaque codex finitur, atque haud multa fortasse deesse iam supra (p. 3) indicavimus.

III.

De aetate auctoris cum tractaturi nunc simus — iam supra p. 1 quid v. cl. Sprenger de hac re senserit indicavimus —, necesse primum est spatium in quo existeret quam accuratissime determinari; quod facile effici potest. Pag. 35 enim legimus Dâûd aechmalotarcham[2]) mense Muharram anni p. f. 230 esse defunctum.

---

[1]) 336 anni hoc tantum loco (p. 182) inveniuntur; auctor enim ceteris locis illud spatium 303 annis constitisse exposuit, qui annorum numerus minus veritati congruus est quam ille.

[2]) vide supra p. 13 annot. 1. 2 b.

Atque p. 44 indicatur, inde a fuga ad id tempus usque, quo liber esset descriptus, praeteriisse annos 531 mensesque decem [1]). Quaeritur igitur, auctoris aetas utrum absit propius ab anno p. f. 230 an ab anno 531. Quod ut diiudicemus de indiciis quae in codice praebentur est disputandum.

Non tam gravis est momenti, quod auctor aechmalotarcharum seriem non ultra Dâûd ducebat, quamquam annis circiter quinquaginta postquam ille diem obiit nonnullos praeterea regnasse scimus [2]). Magis vero premendum est, nullius libri, quem fontem auctor habebat, aetatem medio fere saeculo nono esse inferiorem.

Singulis locis mentio fit viri cuiusdam docti, cuius nomen erat Ahmad ibn ʿabd-allah al ingʾîlî [3]), quem eundem fuisse putamus atque qui in libro Fihrist (ed. Fluegel) I. p. ٣١ fuisse dicatur cliens chalifae Hârûn ar-rashîd (مولى امير المومنين هارون الخ). Quod si ita est, Ahmadem, cum Hârûn anno p. Chr. n. 809 mortuus sit, constat initio saeculi noni vixisse, praesertim cum fieri adhuc nequeat ut probemus eius nominis virum doctum postea exstitisse. — Accuratius autem p. 94 aetatem docti Abugʾaʿfar zarâdusht [4]) videmus adnotari. Aequalis enim erat Chalifae Muʿtazim, qui anno 842 p. Chr. n. mortuus est. Ad idem fere tempus revocamur considerantes, in fine libri (p. 195) adlegari quendam الحسين بن ابختيشوع [5]) الى السرى, qui quod tradebat a viro quodam qui الخوارزمى appellatur accepisse dicitur. Is autem celeber astronomus fuisse videtur, quem تاريخ scripsisse e libro Fihrist I, p. ٢٧٤ discimus et vixisse tempore Chalifae Maʾmûn, qui anno p. f. 218 diem obiit. Sed quis fuerit ille حسين erui nequit. Reperitur vero ابو السرى quidam (Fihrist I, p. ١٨٤), qui (Fihrist II, p. 75 annot. 16) anno p. f. 225 mortuus est; neque tamen certo est certius, eum eundem fuisse quem in codice deprehendimus. Itemque dubitamus de

---

[1]) Verba haec sunt: ومن الهجرة الى يوم كتب هذا الكتاب بآمد خمس مائة واحد وثلثين وعشر شهور. Illud كتب recte putamus intelligi notione describendi neque esse explicandum sensu componendi.

[2]) cf. Graetz, Geschichte der Juden p. 474 sqq.

[3]) Infra in capite V accuratius de viris doctis, qui iam hic commemorantur disputandum erit.

[4]) De hoc nomine in codice non semper eodem modo exarato vide infra cap. V.

[5]) de hoc nomine eiusque forma accuratius tractatur in cap. V.

Bakhtîshû', quamquam in libro Fihrist I, p. ٣٩٩ commemoratur, quendam eodem nomine praeditum medicum fuisse aequalem Chalifarum Ar-rashîd, Al-amîn, Al-ma'mûn, Mu'taṣim, Al-wâthiq, Al-mutawakkil, quorum hic usque ad annum p. f. 247 regnabat.

His adhuc allatis etiamsi fieri nequeat ut auctoris aetatem accuratius definiamus, tamen vix movemur ut, cum ante annum circiter p. Chr. n. 850 videamus confectos esse illos libros quos fontes habebat, auctorem multo post vixisse censeamus.

Exstat autem locus quo primo aspectu videmur recte iudicare auctoris aetatem plane definiri. P. 103 enim haec obvia sunt: وذكر الموبد ان جاماسف بن فحد بن هوو بن جكاو ..... بن منوجهر الملك وذكر لنا ان بستاسب واباءه كانوا على دين الصابية حتى اتاه سمى وزراد شت بما اتاه به ﷺ Fieri certe potest ut legas ذكر لنا scil. Almobad, quo effici possit, illum auctori quae sequantur coram retulisse atque cum is qui solo nomine الموبد designatur pluribus libri locis nostra quidem ut videbimus (cap. V) sententia sit nemo nisi quem iam supra attulimus Abug'a'far Zerâdusht, qui p. 94. Mobed appellatur, auctorem putes fuisse ei aequalem. Sed dubito an recte verba hac ratione explicata sint. Non enim censeo illis ذكر لنا „almobad" ut subiectum esse supplendum sed potius ea verba explicanda esse „traditur"; ita quidem sicut saepius aliis in libris etiam in codice (p. 69), cum de vitae Dhohâk regis longitudine agatur, sententiam quandam verbis ذكر لنا afferri videmus, quae aliter intelligi non possunt. Quod quidem reputantes id putamus esse tenendum, ex illo loco haudquaquam certi aliquid de auctoris aetate esse efficiendum.

Gravissima autem et explicatu difficillima profecto sunt ea quae p. 49 reperiuntur exposita. Adeo enim literae, de quibus maxime quaestio est, detersae sunt ut vix comprobes, quae a scriptore fuerint exaratae. Dubia haec non sunt: ولما نسخت هذا الكتاب ..... يحيى بن محمد المنجم فى سنة احد وثلثين ..... فى هذا الموضع وهو ذكر الاقليم فرايت ..... فى تحديدها وترك الطعن للطاعن فترى عرض الخ quae excipiuntur satis ampla expositione earum terrarum quae in climatum descriptione ab auctore antea perhibita desiderantur, atque tabula addita ostenditur quanam ratione climata per terras sint describenda. Postremo copiosius comprobatur, auctorem iure suo, ut quod propositum haberet perficeret, ceterorum regum ordini Persarum regum seriem praetulisse (— p. 51).

Iam vero primum quidem quaeritur quid fuerit quod inter verba الكتاب et يحيى reperitur. Vestigia si accurrate adspicimus, et راما et واما

legi potest. Illud vero vix aliter intelligendum est atque رآنا „vidit nos“, ita ut hic verborum sit sensus: „Cum describebam hunc librum vidit nos (=me) Yahya ibn Muhammad almunag'g'im anno tricesimo primo ..... in hoc loco etc.“ i. e. „vidit quod in hoc loco exposuerim“ atque intelligendum simul est, eum auctorem de defectu quodam reprehendisse. Cogitari certe potest, sic scriptorem quamquam نسخت paullo antea scripserit secundo loco primae pluralis numeri personae suffixo esse usum expositionemque continuasse verbo فرايت, neque magis offendimur, quod auctor ab alio quodam certe haud indocto viro instigatus quae antea exposuerat quasi emendabat et additamentis augebat. Sed aliud maxime obstat ne illud recte restitutum esse accipiamus. Quid enim? An cogitetur licere putas, de se ipso acerbitate quadam auctorem ita scripsisse: كيف اقتصر على ان يكون اقليم بابل الرابع لولا سمع ذلك من مثل بطلميوس ومن يجرى مجراه ☆. „Quomodo satis habuit proposuisse, clima Babel quartum esse, nisi id acceperit a Ptolemaeo aliisque“? Itemque iudicandum est auctorem de se ipso his verbis esse locutum: p. 51 فقال انه جعل قصده الخ atque multis verbis idem quod iam supra (p. 46) brevius quidem explicarat, iterum probasse, quid fuerit cur Persarum regum ordinem prae ceteris secutus sit. Ex quibus id potissimum sequi censemus, nullo modo auctorem ipsum ea quae p. 49—51 contineantur potuisse addere, sed potius veri simillimum esse, illum Yahya ibn Muhammad ea addidisse. Itaque non رانا inserimus sed وأنا.

Quae cum ita sint, evidens est, cum فرايت vix cum ولما نسخت coniungendum sit, desiderari ante illud aliud verbum quod exstitisse coniicio inter وثلثين et فى هذا الخ. Quid vero restituendum sit difficile certe est ad eruendum. At cum sententiarum hac in expositione obviarum nexum reputem, nil obstare opinor, quin suppleam verbum aliquod cui notio subiiciatur „considerandi“ atque ex vestigiis literarum non adeo perspicuis nescio an recte coniecerim restituendum esse تأمّلت („attento animo consideravi“) atque id exceptum fuisse verbo ما vel فيما.

Hac igitur ratione censeo verba de quibus potissimum quaeritur esse et supplenda et explicanda: ولما نسخت هذا الكتاب وأنا يحيى بن محمد المنجم فى سنة احد وثلثين تأمّلت ما (vel فيما) فى هذا الموضع وهو ذكر الاقليم فرايت الخ. „Quum describebam hunc librum, — ego qui sum Yahya ibn Muhammad almunag'g'im — anno tricesimo primo, consideravi id quod in hoc loco, i. e. com-

memoratione climatum (scil. expositum est), atque vidi ....". Quae sequuntur dubia sunt. Equidem haec legi: فرايت فيه نقص عظيم فى تحديدها وترك الطعن للطاعن[1]), quod ita interpretor: „atque vidi in eo defectum magnum in iis determinandis et relictam obtrectationem obtrectatori". Non enim offendimur نقص عظيم carere accusativi nota[2]).

Ex hoc igitur etiam loco nihil certi erui potest, quo aetas auctoris accuratius definiatur atque satis ducamus necesse est coniecisse, cum praecipuos quibus usus sit auctor fontes videremus aetate medio saeculo p. Chr. n. nono haud inferiori esse compositos, auctorem quoque veri simile esse haud multo post vixisse. Fieri autem plane nequit, ut quid certi afferre conemur[3]).

Quaeritur denique cuius fuerit saeculi ille annus tricesimus primus. Atqui p. 44 exponitur librum anno p. f. 531 esse descriptum. Non est igitur cur dubitemus eundem etiam p. 49 esse intelligendum annum[4]).

---

[1]) الطعن للطاعن accepi a v. cl. Th. Noeldeke restitutum et mecum per literas communicatum. Eius de toto hoc loco paulo post afferemus sententiam.

[2]) vide supra p. 4, ubi nonnulla eiusmodi menda attulimus.

[3]) Aliter vir clarissimus ac doctissimus Th. Noeldeke, qui et ipse codice usus est, verba — id quod per literas nobiscum benigne est communicatum —, restituenda existimavit. ولما نسخت هذا الكتاب رأنا بحيى بن محمد المنجم فى سنة احد وثلثين (و) ثلثمائة فى هذا الموضع وهو ذكر الاقليم فرايت انه نقص عنهم فى تحديدها وترك الطعن للطاعن الخ Quid esset cur illud رأنا haud recte restitui putarem, iam supra accuratius exposui; quâ quidem ratione simul me duci indicavi ut non saeculi post ثلثين numerum restituerem sed verbum aliquod. Concedo vero, siquidem illo loco saeculum additum fuerit, nihil nisi ثلثمائة restituendum esse, neque tamen valde offendimur quod qui ea verba scribebat saeculi numerum non addidit (vide annot. 4). — Dubito autem an verba post فرايت recte sint restituta. Non enim satis intelligo quid de pronomine in voce عنهم sit cogitandum, cum, ut sensum aptum perhibeant verba, exspectetur عنها. Accedit quod quamquam librarius haud raro in apponendis suffixis erravit, tamen nusquam in verbis, quorum alterum alterum fere excipit, ita negligenter commutavit suffixum. Neque equidem contendo quod supra restitui id revera esse restituendum.

[4]) Praeter hos annos in codice adnotatos quos adhuc attu-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000047

IV.

De nomine auctoris dubitamus non minus quam de tempore quo florebat. Nullo codicis loco indicatur, quis fuerit qui hoc composuerit opus tanti aestimandum, neque ex aliis posteriorum aetatum eiusdem naturae libris de hoc anonymo ut quid certi exponamus potest fieri. Ibn al-athîr, quem veri est simile, ut videbimus, hoc libro vel ei cognato ut fonte esse usum, nomen nullum addidit. Mirkhond duobus locis[1]) verba quaedam citavit quae

---

limus, in margine p. 41 annus quidam multo posterioris aetatis reperitur indicatus quo quidam quid de annorum mundi multitudine ad fugam usque praeteritorum senserit, addidit. Haec quidem sunt verba ibi obvia: ما ذكره من العدد فى التاريخ المذكور وهو خمسة آلاف وتسعمائة وشى (?) غير صحيح لانه يلزم الان وهو سنة اثنتان وثلاثون أنّ المدة زادت على سبعة آلاف مع ان اهل الملل اتفقوا على ان عدد الدنيا سبعة آلاف ومن هذا يعلم (cod. عمد ?) كذب اليهود وكذب النصارى وان اقوالهم صادرة عن غير اصل بل الراى والمنجمين ۞ ..... Anno quodam tricesimo secundo haec adscripta sunt. Atque cum secundum auctoris computationem annorum ad fugam usque praeteritorum (p. 41) 5993 anni efficiantur et ille dicat, suo tempore auctoris iudicio 7000 tantum annos praeteriisse, evidens est, illum mille circiter annis post fugam libro illa verba inscripsisse.

[1]) Altero loco (Mirkhond pers. ed. Paris. p. ۳۴.) haec leguntur verba: قال فى الغنينة وامر باعادة كل جسر قطع او قنطرة كسرت او قرية خربت الى احسن ما كان عليه وسهل سبيل الناس وبنى فى الطرق الحصون والقصور, quae paucis omissis eadem fere reperiuntur in codice p. 151: وامر باعادة كل جسر قطع او قنطرة كسرت او قرية خربت حتى يعود ذلك الى احسن ما كان عليه [من الصلاح وتفقد الاسارة ومن لم يكن له منهم يسار حتى قواهم بالدواب والعدة واجرى لهم ما يقويهم ووكل ببيوت النيران] وتسهيل سبل الناس وبنا فى الطرق القصور والحصون. — Altero loco (ed. Paris. p. ۳۶۱) quae persico sermone afferuntur: ..... وبهرام پسر سايه شاهرا بقول صاحب غنينة والعهدة عليه با دويست وپنجاه هزار شتر بار از نقوش ونقود واسلحة واوانى سيم وزر وساير اموالى كه از لشكر تركستان غنيمت گرفته بود بمداين فرستاد وهرمز اين اموال را عظيم شمرده بهرامرا ستايش نمود الخ, conferenda sunt cum iis quae in codice

non tanto ab iis quae in codice leguntur differant, quin iure opinari videaris ea aut e libro hoc aut ex alio quodam, qui cum illo aliqua ratione cohaereat esse desumpta, sed libri e quo sese hausisse addit, titulus tam obscurus est, ut haudquaquam fieri possit ut qualis fuerit dicas. De nomine autem auctoris eius libri, quem citat, nihil exposuit[1]). — In libro etiam qui Al-fihrist inscribitur, historici cuiusvis mentio facta non est ita ut coniicias, quis fuerit libri huius auctor.

Patria auctoris fuisse videtur regio babylonica, cum quippe p. 46 clima Babel dicat اقليمنا nostrum clima.

Iam vero quaeritur, quis fuerit ille Yahya ibn Muhammad almunaǵǵim qui librum descripsisse videtur. Perperam v. cl. Sprengerum iam supra (p. 1) adnotavimus ex Abulfedae hist. anteislam. videri coniecisse, eum eundem esse atque Abu-ʿYsa ab illo saepius citatum. Monendum vero primum est, iam satis superque ex nominum discrepantia sequi Abu-ʿYsa Ahmad ibn ʿAlî Almunag´g´im non esse eundem atque qui p. 49 commemoratur; ut omittam, si verba in Abulfedae historiam ex illius opere recepta comparentur cum iis quae in codice de iisdem rebus obvia sunt, prorsus evidens esse, alterum ab altero esse diversissimum. Et in ipso libro Fihrist nemo qui astronomus cognominatur reperitur qui idem ac hic fuisse videatur. De eius aetate supra (cap. III) disputatum est.

---

p. 154 reperiuntur: فوجهه (برموده بن سايه scil.) الى هرمز اسيرا وغنم مما كان فى الحصن كنوزا عظيمة ويقال انه حمل الى هرمز من الاموال والجوهر والانية والسلاح وسائر الامتعة مما غنمه وقر مائتى الف وخمسين الف جمل فشكر هرمز لبهرام معيا كان منه بسبب الغنائم التى صارت اليه.

[1]) Nomen eius cognovisse non videtur cum afferret verba modo exhibita dicens se auctore صاحب غنينة ea exposuisse. Quid vero illud غنينة sit perspicuum non est atque dubitetur licet an possit prorsus ex punctis diacriticis isto modo superscriptis nomen erui. Conferas id quod doctissimus de Sacy in „div. antiquités de la Perse“ p. 364 adnot. 67 et p. 394 adnot. 86 adnotavit, qui quidem verbum illud exaravit Alganina alteroque loco monuit, idem esse videri ʿOnaïna, sed certi ut quid diceret fieri non potuit.

V.

In scriptis historicis et describendis et iudicandis id praecipue atque iure quaeritur, quibus e fontibus ratione quadam critica necne auctor hauserit. Ad hanc iudicandi rationem si hunc librum revocamus facere certe nequimus quin contendamus, auctorem non solum quaecunque in fontibus reperirentur, descripsisse sed etiam iudicio quodam ea adhibuisse et operi suo intexuisse. Quod ex ipso libro exemplis probare nunc supersedemus; et eam praecipue ob causam quod fieri non potest ut ipsos fontes, qui quidem maxima ex parte quod sciamus deperditi sunt, comparemus. Subtilius autem in animo est de fontibus, quos perspicuis testimoniis constat auctorem in usum vocasse, tractare.

Et in primis quidem mentio facienda est librorum et Iudaeis et Christianis sacrorum, qui p. 26 omnes enumerantur et p. 29. الصورة القديمة والحديثة[1]) كتب appellantur.

Vetus testamentum, quo in prima potissimum libri parte usus est, ubique fere verbis citatur توراة الصورة; quod nomen non a Iudaeis ei esse tributum, apparet ex p. 26, ubi exponitur, Iudaeos ne minime quidem dissentire de veteris testamenti libris et Christianos, nisi quod illi eos nominarent الكتب الجامعة, hi vero كتب الصورة القديمة. Ab hoc Hebraeorum testamento sic appellato diligenter distinguitur توراة اليونانية i. e. quae adhuc fertur LXX virorum interpretatio (p. 41). Quorum alterum de rebus chronologicis ab altero quanto dissentiret auctorem non ignorasse evidens est, cum tabulas chronologicas p. 41 sqq. obvias consideres.

Nonnullos veteris testamenti versus p. 56 afferri vides, sed uno loco duo versus commixti sunt. Ubi enim de regis Kayumarthis cognatis Madî et 'Elam disserit haec citat: انه ...

[1]) Quo sensu illud الصورة, cui notio formae vel imaginis subest, intelligendum sit, non satis perspicuum est. Idem fere legitur in Fihrist I p. ٣٣, كتاب الصورة وينقسم الى قسمين الصورة العتيقة والصورة الحديثة الخ. An voce الصورة idem intelligitur quod nostro „Canon“?

Commemorandum est novum testamentum in codice uno tantum illo loco supra citato hoc nomine appellari, ceteris vero, nisi propter praecipuam eius partem nomine „evangelii“ tantum afferatur, dici الحدثة vel الكتب الحديثة.

يقبل من ناحية التيمن مثل الزعازع والروائع [1]) وحوافر خيلهم مثل [2]) جلاميد الحديد quae ita dicta nusquam apud prophetas, unde desumta esse ipse dicit, reperiuntur. Quae vero illa excipiunt verba ثم وصفت غلبته للامم فقيل انه يغلب ويتمكن ويدق الامم دقا ويسحقها سحقا ويصير عليها بمنزلة الجرجر facilius comparentur cum Ies. 41, 15. Plane fere cum verbis hebraicis conveniunt haec هوت هوت بابل وتكسرت الهتها المنحوتة (يعنى الغرس ودينهم) cf. Ies. 21, 9. et اصعدى يا عيلم وحاصرى يا مادى, modo legas اصعدى et حاصرى, cf. Ies. 21, 2.

Sin vero p. 53 exponitur, Ahmadem, qui Aling'îlî cognominatur, in libro الجامع دبر يامين — qui quidem cum libri veteris testamenti voce الجامع designari soleant nil nisi liber Paralipomenon esse potest — legisse, prophetam Iesaiam de iis qui Deo pro liberis suis supplicarent, disseruisse, negari sane nequit, in illo libro (cf. II, Paralip. 26, 22. 32, 32) mentionem fieri Iesaiae ut scriptoris, at frustra illud ab Ahmade traditum quaeritur. Veri igitur est simile id esse ex apocrypho quodam fonte repetitum vel ex targumo fortasse quodam.

In enumerandis libris sanctis cum Iesaias antecedentibus Ieremia et Ezechiele tum Ionas post Micham enumerantur, atque sub finem primae librorum expositionis apparent كتاب عزريا سافرا et كتاب علوم الرب عز وجل وهو العزير, quorum alter sine ullo dubio liber Esrae est, alter autem qui sit liber perspicuum satis non est [3]). In secunda librorum enumeratione libri solummodo العزير (Esrae) mentio facta est.

Restat ut quae formis syriacis scripta deprehenduntur nomina exhibeamus, quibus effici videtur, auctorem de libris sanctis per syriacam dumtaxat interpretationem esse edoctum. Pag. 26 haec reperiuntur; كتاب الانبياء الاثنى عشر الذى يسمونه ترعسر cf. syr. ܬܪܥܣܪ. Pag. 27 canticum canticorum citatur nomine شرت شيرين cf. syr. ܫܝܪ ܫܝܪܝܡ. Paulus quasi cognomine afficitur السليح quod non tam Arabum quam Syrorum more dictum esse videtur. Huc forsan illud quoque سافرا (= ܣܦܪܐ) referendum est. Pag. 41 denique monetur, Thoram quae Graecorum dicitur esse cognitam بمغفاد سبعين i. e. nomine septuaginta (virorum) interpretationis. Quod sitne syriace dictum an non sit dubitetur non licet. مغفاد

---

[1]) Conferendum fortasse est Habaquq. 3, 3.

[2]) cf. Ies. 5, 28.

[3]) Num forte de libro Esrae apocrypho cogitandum est?

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000051

enim explicetur necesse est ܡܦܩܐ ܕ vel ܡܦܩܬܐ ܕ cum quippe opinemur, perperam exaratum esse illud مفقاد pro مفقتاد, altera enim illa nominis forma Syris longe usitatissima est.

Haud minoris libris Biblicis pretii fuisse videtur auctori „Chronicon quoddam Iudaeorum“ p. 28 his verbis descriptum: Iudaeis erat كتاب يقال له [1]حقب عىلم وتفسيره بالسريانية حسبن عىلم وتفسيره بالعربية حساب العالم معناه تاريخ الدنيا واخبارها وفيه تسمية الاعياد وهو الكتاب الذى تسميه النصارى بالرومية الاخرانيقون. Saepius citatur. Atque ex nomine eius elucet, eum in librorum numero ad chronologiam potissimum confirmandam pertinentium fuisse, sed in eo etiam res quaedam fabulosae antiquissimae aetatis enarratae fuisse videntur. Duobus locis (p. 16. 53) ad idem chronicon revocamur cum de Kayumarthis rebus agatur. Et p. 15 animadvertitur, quaecunque res inde a Nebucadnezaris tempore in Iudaeam proficiscentis gestae sint imprimis reperiri in libro حشبن عيلم, qui ibidem ita describitur; هو كتاب لبنى اسرائيل مكتوب على سبيل التاريخ وتقييد عظام الامور الحادثة فى الدهور وهو الكتاب الذى تسميه النصارى بالرومية الاخرانيقون ۞ Quin etiam oratio illa tam ampla, quam Minug'ihr habuisse dicitur in eundem librum, postquam persico sermone primum a Mobed quodam in ديوان الحكمة descripta fuerit, relata esse fertur, cum p. 79 haec adnotentur, قال [2]عوزيا بن مسافر أملى علىّ الموبد الكلام فكتبته عنه بالعبرانية وكنت بصيرا بلغة الفارسية والعبرانية فكتبته فى تاريخ حسبن عيلم، unde efficitur, quamquam liber iam perfectus exstaret, tamen alias res postea ei quasi esse intextas. Quod confirmatur etiam his verbis p. 103 obviis, وزعم الانجيلى فى كتاب حسبن عيلم ان رجلا من بنى اسرائيل يقال له سمى الخ atque iis quae sequuntur narratur, Iudaeum illum cum Zoroastro de rebus ad religionem pertinentibus disputasse. Verba vero زعم — فى كتاب si accuratius consideramus, necesse profecto est censeamus, Ahmadem — is enim illo nomine indicatur — librum istum non modo in linguam arabicam vertisse sed libertate quadam usum res nonnullas addidisse[3]). Quaeritur autem num forte hoc chronicon idem fuerit atque quod nobis conservatum est Seder ʿOlam. Quod quidem cum de fabulis quae apud Persas feruntur in eo tractari

---

[1]) حقب, cum nullo loco punctis diacriticis literae satis accurate exornatae reperiantur, difficile est ut certius explices.

[2]) Is quis fuerit nescio.

[3]) cf. Sprenger, Leben Mohammads I, p. 56 not. 1.

dicatur, plane reprobatur, quamquam haud inepte videtur coniici, illud quasi fundamentum habuisse Seder ʿOlam, sed variis multisque adauctum esse rebus. Veri autem est simile, auctorem librum hunc, nisi qui ab Ahmade scriptoribus arabicis patefactus fuerit, non cognovisse.

Aliud praeterea nonnullis locis citatur opus, in quo res chronologicae perhibitae esse videntur, alias non obvium. Perdifficile autem est explicatu, eius nomen quomodo sit pronuntiandum. Literae eaedem ubique exaratae sunt neque tamen ita punctis diacriticis instructae ut intelligeres, quid id esset. Longe optime puncta addita esse videntur p. 17 ubi ديثموتقى vel ديثموتقى deprehendis, nisi forte scribatur etiam licet دثيموتقى. Verumtamen quis est qui dicat, ex lingua graeca sit explicandum syriacane? Illud sane veri simile videtur propter literas in fine vocis obvias, si quidem fuerint — τικη, quamquam nihil habemus certi quo id satis probemus. — Ad rationes chronologicas potissimum constituendas adhibetur atque nunquam fere non una cum تورية الصورة citatur (p. 37. 170). Alio loco (p. 17) exponitur, auctorem tha'rîch suum usque ad Nebucadnezaris Iudaeae expugnationem instituisse على ما فى تورية الصورة وكتاب ديثموتقى cum inde ab eo tempore quae gesta essent hauriret ex دبر يامين aliisque libris. Pag. 184 (186) denique adnotatur cum de Saulo agitur, واسمه فى كتاب ديثموتقى شاوول بن قيس. Iure igitur coniicere videmur, illo libro res dumtaxat antiquissimae ante templum primo dirutum aetatis fuisse perhibitas, praesertim cum nullo loco eae quae postea gestae sint tamquam in eo expositae commemorentur. Maximi autem ponderis verba sunt quae p. 30 proh dolor! minime integra servata leguntur: وفى ايدى النصارى كتب يسمونها البراتيقة والدُباقات[1] والمصاحف وغير الكتب الذى[2] ..... حالها كتب التفسيرات وغيرها والنصارى تنسب عشرة من هذه الكتب الى كتاب ديثموتقى، Erat igitur ex libris Christianorum in eoque quae conscripta fuerint,

[1]) Nescio quid his nominibus duobus ita in codice exaratis intelligendum sit. Pag. 69 haec reperiuntur وزعم من نظر فى كتب التواريخ وكتب اهل الكتاب البراتية انه الخ — de vitae Dhohaki longitudine agitur —; atque p. 103 cum de Iudaeo qui cum Zoroastro de religione disputasse dicitur, agatur, haec leguntur: وله نبوة تقرا فى دباقات الكنائس

[2]) Unum verbum desideratur, quod ex vestigiis vix restitui potest.

perspicuum est verbis illis accuratius indicari, sed nescimus an illo التفسيرات ea describantur.

Librorum apocryphorum in numero Iudaeorum reperitur liber quidam de quo cl. Sprenger iam copiosius disputabat [1]). Inscriptus est الاشمعت et scriptor de eo haec ipse exposuit: هو صحف ابرهيم وموسى صلى الله عليهما وهو كتاب يجمع الاخبار من آدم الى موسى على طريق التنزيل والامر والنهى. Atque idem fuisse videtur liber p. 16. 52 citatus licet nomine diversus. Ad ea videlicet quae de Kayumarthe auctori persuasum est perperam a Magis esse tradita, cum emendanda tum emendata confirmanda revocamur prae ceteris ad librum Iudaeorum quendam qui شمعتا [2]) inscribitur atque p. 52 his verbis describitur: هو كتاب فى ايدى اليهود دون النصارى يسمى بصحف ابراهيم وموسى وفيه ما انزل على آدم وشيث وادريس وابراهيم وموسى من الصحف فان ذلك جمع لموسى. Rebus quidem evidens esse puto alterum cum altero libro plane consentire; veri ideo simile profecto est nomina etiam esse eadem. Etenim شمعتا aramaica ratione statu qui dicitur emphatico prolatum Arabes

---

[1]) cf. Leben Mohammad's I p. 49 sqq.

[2]) Hic liber isto nomine inscriptus nequaquam idem esse potest ac qui p. 28 nomine شمعتوا praeditus commemoratur, quippe qui continuisse dicatur احاديث الربابين i. e. rabbinorum traditiones, neque minima usus fuisse apud Iudaeos auctoritate وليس يقوم عندهم مقام الوحى واكثرهم لا يلتفت اليه. Ad nomen autem eius intelligendum conferri possunt verba a Buxtorfio exposita in Lexico talm-rabbinico s. v. שְׁמַעְתָּא „explicationes quas a maioribus suis acceperunt et didicerunt et tandem in suum doctrinale talmudicum rettulerunt". Conferatur prae ceteris id quod de Sacyus in Chrestomathie arabe 2 éd. I p. 356 exposuit. Quod quidem optime cum illo nomine شمعتوا quoad res in eo exhibitas convenire videmus. Ibidemque idem l. c. p. 349 sqq. annot. 82, cum de Makrizii tractatu quodam nonnulla adnotaret, copiosius de voce الاشمعت vel potius de ea re, quae hoc nomine designabatur, disseruit. Designata autem eo est secta quaedam Iudaeorum, qui concedebant contra alios ut ad Deum eiusque naturam humanae ut ita dicam referrentur formae. Ad hanc rem illud in codice commemoratum opus quo volumina supra dicta continebantur ne minime quidem pertinere, ostendi accuratius certe non est necesse. Nulla enim alia re inter se conferri nisi nomine possunt. Ad شمعتوا = שְׁמַעְתָּא cf. Levy, chald. Wörterbuch s. h. voce.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000054

articulo praefixo الاشمعت pronuntiasse videntur idque inde firmari etiam videtur quod liber quem veri sane est simile lingua aramaica esse compositum, in linguam tum versus arabicam auctori in usu erat; quamquam plane negari nequit eum etiam librum aramaica lingua scriptum cognovisse, id quod inde habeas confirmatum quod nominis illa forma deprehenditur.

Iam vero cum quae res in illo libro exhibitae fuerint, quaeratur, ad eius descriptionem supra iam citatam respiciamus necesse est. Atque quamquam iis quae p. 28 exstant, paene compellimur ut sumamus, quaecunque in eo fuerint natura quasi revelationis divinae uti, ita quidem ut quae res ab Adamo ad Mosen usque acciderent exhibitae sint ratione revelationis et mandati et interdicti, tamen ut ex rebus ad quas confirmandas petitur satis efficitur, non tam constabat rebus dumtaxat ad religionem moresque pertinentibus, quam aliis etiam maxime fabulosis historiae indole quasi indutis [1]). Cum quod sciam nusquam adhuc repertum sit huius libri nomen, tamen voluminum Abrahami Mosisque mentio facta est Qur. Sur. 87, 18, 19 al. aliorumque nonnullorum quae eadem atque nostra forsitan esse videantur (Fihrist I, p. ٣٢, Tha'labî apud Sprenger, l. c. p. 49 sq.). Quaeritur autem, volumina in codice commemorata eademne fuerint ac quae in Qurano aliisque locis reperiuntur. Id quidem cl. Sprenger non contendit sed auctorem facit putantem [2]) eadem revera esse quae a propheta adhibita sint; sed tamen in codice eius naturae aliquid ne verbo quidem probatur, quamvis quae Sur. 53 leguntur consentiant cum illorum voluminum natura p. 28 descripta (على طريق التنزيل والامر والنهى). Quid enim? An cogitari potest, ita res Kayumarthis in hoc libro, sicut in codice referuntur, esse expositas, quibus quod Magi de illo fabularentur reprobatum esset? Fieri nimirum potest ut ea altera alteris fuisse cognata putes, sed an eadem fuerint dubium certe est. — Ista volumina distinguenda plane esse ab iis quae dicuntur abrahamitica et quae a Hanifitis ferebantur, iam Sprenger monuit [3]). —

---

[1]) Sprenger l. c. p. 52: „Der Inhalt war historisch oder wenigstens legendarisch ....“.

[2]) Sprenger l. c. p. 56. Cum vero dicat vere Muhammadani fuisse ut prophetam defenderet qui quidem videretur librum adhibuisse non coelitus revelatum, ne minimum quidem ad id affirmandum codice perhibetur.

[3]) l. c. p. 53, at p. 57 statuit, ea cum illis aliqua ratione cohaerere.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000055

Quae igitur fuerint nescio quomodo probetur, dolendum profecto est, quod tam pauca ex iis ab auctore allegata sunt. Atque num forte ea, quoniam rebus quidem proxima libris sacris essent quasi prototypus fuerint librorum posterioris aetatis apocryphorum, ut Sprenger inde colligit, quod sine re, ut opinor, eadem maximi a Iudaeis esse aestimata sumit, quis est qui confirmet? — Id igitur tenemus adhuc minime liquere, quid de iis sit censendum.

In numero scriptorum quae pseudepigrapha dicuntur liber quidam referendus est qui semel citatur his verbis: p. 183 (185) وذكر فى كتاب اصف بن برخيا كاتب (سليمان[1] انها كانت عشرة سنين. Saepius idem Asaf in aliis scriptis commemoratur. Ibn al-athîr in libro suo al-Kâmil inscripto I p. 165. 167. 168 cum de rebus Salomonis agat, eius mentionem facit atque indicat tradi eum haud parva apud Salomonem esse usum auctoritate. De iisdem rebus cum tractetur etiam in libro Fihrist I p. ٣٠٩ eius mentio fit sed additur, eum fuisse filium خالة سليمان materterae Salomonis. Idemque intelligi videtur cum in libro quodam a G'aubarî composito (cf. de Goeje in ZDMG XX, 1866 p. 486) eum appellari videamus (?) اشموائل[2] اصف بن برخيا بن qui librum conscripsisse dicitur, cui titulus erat ينبوع الحكمة, et qui pluribus constabat libris. Citatur quoque cum de Nimrode et Therach agatur in Barhebraei chronico (p. 9. 10. 11) atque in eiusdem auctoris commentario in Iobum[3]), ubi de ipso Iobo quid ille senserit affertur, neque tamen ibidem vides eum Salomonis tempore vixisse sed fratrem fuisse Esrae. Plura de eo et collegit et tractavit Steinschneider (in „Pseudepigraphische Literatur" p. 57) qui iure contendit, librum illius Asaf maximam partem fabulis fuisse repletum. Fieri certe potest ut qui in codice citatur liber fuerit illud ينبوع الحكمة, vix autem accipiciatur licet, eum eundem fuisse atque qui ex rabbinorum scriptis cognoscitur Asaf Iudaeus, qui de medicina librum dicitur composuisse (cf. Geiger, in ZDMG XIV p. 277)[4]).

---

[1]) Agitur illo loco de annis quibus post Simsonem defunctum Israelitae carebant iudice.

[2]) In libro Hag'i Khalfae (cf. Steinschneider l. c.) ita eius nomen expositum reperitur: اصف ابن برخيا بن اسمعيل وزير سليمان.

[3]) Verba Barhebraei obvia sunt in Kirschii chrestomathia syriaca ed. Bernstein I p. 186. cf. Geiger in ZDMG XIV, 1860 p. 277.

[4]) cf. Neubauer in „Orient u. Occident ed. Benfey II, 1864

Iam vero de scriptore quodam agendum nobis est, quem putamus prae ceteris ab auctore in rebus tractandis iisque praecipue quae in libris Iudaicis traderentur, esse adhibitum nisi forte eiusdem operibus factum sit, ut auctor omnino res ex literis iudaicis petitas cognosceret. Hic est quem in libro Fihrist I p. ٣٣ legimus maxime fuisse versatum in illis literis, احمد بن عبد الله المعروف بالانجيلى i. e. Ahmad ibn ʿAbdallae qui Evangelista cognominatur. Erat e gente ʿAbdallae ibn Salâm olim Iudaei, qui prophetae in clientela fuisse dicitur (p. 53). Auctorem vero minime sibi constantem fuisse videmus in indicando, quam arcta cum illo hic cognatione fuerit coniunctus. Cum enim p. 30 exponatur, eum fuisse من ولد عبد الله بن سلام e prognatis ʿAbdallae ibn Salâm atque quae ratio inter eos interfuerit p. 53 satis obscure describatur voce قرابة (propinquus), accuratius p. 182 (184) indicari videtur, eum fuisse بن اخى عبد الله بن سلام i. e. nepotem ʿAbdallae. Quid igitur? hic annon idem fuit atque ille? Eundem fuisse ego quidem non dubito Sprengero assentiri. Neque infitiandum est, facile fieri potuisse ut auctor quamquam de uno eodemque viro cogitaret, altero loco parum perspicue illam cognationis rationem indicaret, cum quippe omnibus certe cognitus esset is quem illo nomine intelligeret, altero vero accuratius exponeret, eum nepotem fuisse ʿAbdallae illius. Idem fuisse videtur quem in Fihrist l. c. exponitur item literis iudaicis optime edoctum fuisse et haud paucos libros non solum in linguam arabicam vertisse sed tractasse etiam libertate quadam usum. Id quod supra de libro qui حسبن عيلم factum esse putavimus; quamquam non nimis premendum est, quod cl. Sprenger exposuit, vix cogitari posse, duos eiusdem nominis exstitisse viros doctos, qui operâ haud parvâ incumberent literarum iudaicarum studiis quippe cum tunc tempore inter Arabes omnino rari fuissent qui alienis literis studerent, unde esse colligendum scriptorem errore quodam ductum Ahmadem illum fecisse primis fere Muhammadanorum temporibus aequalem. Sed aliud etiam reperitur, quo nisi prorsus fallimur maxime compellamur ut coniiciamus, Ahmadem qui in codice commemoratur et qui in libro Fihrist reperitur eundem fuisse. Nam p. 30 codicis de evangelio quodam quaestio est atque haec afferuntur: وفى ايدينا سما يقراه المسلمون انجيل ذكر احمد بن عبد الله من ولد عبد الله بن سلام

p. 657 sqq. ubi copiosius de Asaf Iudaeo quae e literis iudaicis hausit, exponuntur. Cf. praecipue p. 660. Censere videtur eum atque illum unum eundemque fuisse.

وهو انجيل كان [1]سلمان الفارسى [2]..... ممن كان على رسم المسيح وهو الانجيل المنقول [3]كهمه (sic) ولعمرى ان [2]..... بالوحى والتنزيلات لما فيه من الامر والنفى والنصارى تسميه كتاب اقلاميس ولا تدخله البيع [4]ولا تقرءون به،

---

[1]) cf. Sprenger, l. c. p. 120 adnot. 2 al. Saepius eius mentio facta est, copiosius vero quae de eo, qui Christianus primo fuisse dicitur, tradita sunt tractantur Nawawi, biograph. dictionary ed. Wüstenfeld p. ٣٩٣ sqq.

[2]) Verba quae his locis exstabant adeo detersa sunt ut ex vestigiis literarum admodum exilibus prorsus fieri nequeat ut coniicias, quid fortasse sit restituendum. Quam ob rem perspicuum est, iure ne conatos esse quidem nos eruere quid potissimum auctor illis verbis exponere voluerit. Atque dubium est an reapse verba omnia quae attulimus usque ad ولا تقرون به inter se necesse sit coniungantur, quamquam id quidem veri simile videtur cf. infra adnot. 4.

[3]) Ex voce sequente لعمرى evidens est, primam illius verbi literam Lam fuisse atque secundam ح fuisse coniicio. Nomen vero totum explicare nequeo.

[4]) Conferendum prae ceteris est quod in libro Bîrûnii (Chronologie orientalischer Völker ed. Sachau p. ٢٣) reperitur: ولاصحاب مانى انجيل على حدة يشتمل على خلاف ما عليه النصارى من اوله الى اخره واولئك يدينون بما فيه ويزعمون انه هو الصحيح وان مقتضاه هو ما كان عليه المسيح وجاء به وان غيره باطل واصحابه كاذبون على المسيح وله نسخة تسمى انجيل السبعين وينسب الى بلامس (*) وفى صدره ان سلام بن عبد الله بن سلام قد كتبه من لسان سلمان الفارسى ومن نظر فيه لم يخف عليه افتعاله والنصارى وغيرهم ينكرونه فلا يوجد من الاناجيل اذن من كتب الانبياء ما يعتمد عليه☆. Quae si accuratius consideramus, recte iudicare videmur, iis de eodem evangelio atque de quo in codice quaestio est, agi. Evangelium autem quod Salâm ben ʿAbdallae ibn Salâm in linguam arabicam vertisse dicitur, et quod evangelium septuaginta (nescio an addendum sit „discipulorum“ cf. Fihrist I p. ٣٣ ترجمت ..... كتب الانبياء والتلامذة) appellabatur, Manichaeis fuisse videtur. وله enim illud referendum puto ad مانى. Non

---

*) Nescio an hoc nomen بلامس corruptum sit idemque eo intelligendum quod in codice ut اقلاميس (Clemens) affertur.

quod etiam a Muhammadanis legebatur, his verbis agitur et de quo Ahmad ille nonnulla retulit. Ipsa autem eius verba fuisse videntur وهو انجيل كان الخ. Colligamus autem inde licet, Ahmadem praecipue in literis ad evangelia pertinentibus fuisse versatum, id quod plane videmus cum iis quae de Ahmade in libro Fihrist exponuntur consentire. Quamobrem praesertim cum alius Ahmad ibn 'Abdallae qui alingîlî cognominabatur adhuc cognitus non sit, qui tantopere literis illis incumberet, iure posuisse videmur, Ahmadem in codice citatum et Ahmadem qui Harun ar-rashîd chalifae aequalis fuerit, eundem fuisse.

Saepius commemoratur in codice, neque tamen libri eius ullius titulus reperitur. Eum librum qui حسبن عيلم inscribitur et tractasse et adauxisse fortasse, videri iam supra exposuimus. Pag. 53 sqq. legimus, eum in libro Paralipomenon (دبر يامين الجامع) reperisse, Iesaiam prophetam de iis qui pro liberis Deo supplices fuissent, tractasse eorumque preces quae verbotenus afferuntur, e libro, quem hic composuit, desumtas esse apparet. Adnotatur denique p. 195 (197) eum ea, quae de Kayumarthe paullo ante relata sint, e libro quodam Ieremiae sumpsisse. De rebus p. 103 obviis iam supra tractatum est.

Ad res Persarum enarrandas cum auctor accederet professus est se expositurum esse quae reperirentur عند الموبد وعرابذة (scil. regum) المجوس والمتادبين باحاديثهم وسيرهم واسمائهم (p. 46). Duos vero ex iis potissimum adlegavit. Saepius quidem ad auctorem revocamur quendam ابو جعفر زرادشت[1]) qui filius fuisse fertur احرا الموبد. Cum de regibus nabaṭaeis disseratur (p. 62) his verbis narratio ampla incipitur وزعم ابو جعفر زرادشت بن احرا الموبد ان النبيط لم تملك برأسها الخ atque ubi de prognatis Kayanidae cuiusdam agitur, accuratissime indicatur, eum aequalem fuisse chalifae Mu'taṣim (p. 94). Pag. 141 denique affertur eo auctore, Byzantinos non desiisse tributum Persarum regi Iezdeg'erd ibn Bahrâmg ûr persolvere. Unde efficitur, Abu

---

tamen qui illud evangelium vertisse fertur, nominatur Ahmad ibn 'Abdallae sed Salâm ibn 'Abdallae ibn Salâm. Duo igitur erant viri alter ab altero distiguendus. Sed ex eadem gente eos fuisse censemus, nisi forte putandum est in libro Bîrûnii mendum deprehendi. Ibidem enim quae referuntur fere consentiunt cum iis quae in Fihrist l. c. de Ahmade ibn 'Abdallae exposita sunt.

[1]) Plerumque nomen زرادشت perperam scriptum deprehenditur زرادشت

g'a'farum totam usque ad proxima fere tempora historiam descripsisse eiusque libros, e quibus tam diligenter auctor hausisse videtur et qui quod servati non sunt quod sciamus, dolendum est, melioribus Persarum rerum fontibus adscribendos esse putamus. Atque ad eum si quando verba citantur nomine tantum المويد praemisso, referri etiam ea necesse esse censemus (cf. p. 103 al.)

Quamquam nomine Abug'a'far intelligere solemus eum qui nomine Tabari omnibus notus est, tamen is de quo nunc agitur diligenter ab illo distinguendus est. Ut omittam quae facile cognoscatur nominum discrepantia, etiam illum annis maiorem haud paucis fuisse putamus. E codice enim id sequi videtur, eum floruisse tempore chalifae Mu'tasim (qui mortuus est 842 p. Chr. n.) cum Tabari natus sit anno p. f. 224 mortuusque 310 [1]). Atque cum si res in codice relatas cum iis quae in annalibus Tabarii reperiuntur, compararis, intelligas necesse sit, de haud paucis etiam verbis eas inter se convenire, coniiciamus nescio an liceat, illius Abug'a'fari librum utriusque fuisse e fontibus.

Pag. 103 auctore quodam احرا المويد, quem patrem Abug'a'fari fuisse existimamus, de Narsî vezîro regis Bahrâmg'ûr nonnulla exponuntur neque alio loco illius mentio fit. Fieri igitur non potest ut certi quid e codice de eo eruamus.

Restat ut de fonte e quo in exponenda Chalifarum serie hausisse se dicit auctor, agamus. Inscripta quidem est p. 195 his verbis: هجرة النبى صلعم وايام الخلفاء بعده على ما الف الحسين بن ابى السرى (2) ابختيشوع عن الخوارزمى وغيره. Iam supra (p. 36) cum ad aetatem auctoris accuratius definiendam opus esset ut etiam virorum qui in illa inscriptione reperiuntur aetatem et erueremus et confirmaremus de ipsis iis tractavimus. Alkhârazmî celeberrimus ille scriptor videtur fuisse cuius mentio facta est in Fihrist I, p. ٢٧٤. Atque cum vix fieri possit ut ex tanta eiusdem nominis virorum doctorum copia ostendas qui fuerint الحسين et بختيشوع, recte tamen coniici putamus ابو السرى eundem fuisse quem in libro Fihrist (I, p. ١٨٤), qui (ibidem II, p. 75 adn. 16) mortuus esse dicitur anno p. f. 225, commemorari videmus. Certum autem esse opinamur, الحسين illum unum fuisse ex scriptoribus Arabum vetustissimis.

---

[1]) cf. Fihrist I p. ٣٣٤.

[2]) Ita exaratum nomen in codice reperitur, sed dubium est an recte scriptum sit. Alif enim quod postea additum videtur aut delendum est aut ابى vel ابن ex eo restituendum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000060

Hi sunt fontes e quibus potissimum auctor ad componendum suum opus hausit. Alii praeterea enumerantur (p. 28 sqq.) libri quos quidem cognovisse videtur, sed nullo loco in usum vocavit. Loquor de libris Iudaeorum et Christianorum apocryphis aliisque quibusdam in illorum numerum non referendis, quos afferre supersedeamus oportet. Id unum mentione iam dignum est, e libro Esrae quarto fabulam, de qua supra p. 12 dictum est, esse receptam (p. 29).

Finem huius tractationis assecuti sumus, perfecimus quod potissimum habebamus propositum. Sed una tantum restat quaestio quae, quamquam nunc quidem ne nimis ampla fiat commentatio accuratius tractari non potest, tamen praetermittatur prorsus non licet. Conferatur necesse est codex cum ceteris scriptis historicis quo magis eluceat quanti sit aestimandus. Iam supra in capite secundo cum res in eo exhibitas enarraremus, adnotationibus indicavimus, rebus quidem maximam partem eum cum ceterorum librorum, quos conferre potuimus, expositione consentire, sed simul vidimus, de nonnullis sane rebus ab illis dissentire auctorem. De ratione loquor quae intercedebat Qobad regem inter et Mazdaqitas (vide pag. 29 et ibidem adn. 5), ne loquar de aliis quibusdam levioris ponderis. Ac si auctoris expositionem rerum posterioris Persarum aetatis planam simplicemque cum iis quae a Tabario aliisque fabulis variis multisque referta enarrata sunt contulerimus intelligamus necesse est, auctorem quam maxime id egisse ut sicut res chronologicas ita res gestas suo iudicio fide dignissimas referret. De hac vero re nunc disputandum non est. Id autem maximi puto momenti quod praesertim cum de Sâsânidarum historia quaeratur in codice exstare videtur rerum expositio, quae ex fonte quodam nunc deperdito Persico hausta est, et quae in ceteris quoque Arabum libris historicis licet cum aliis traditionibus commixta etiamnunc cognosci potest. Quocirca censemus, si quae in codice reperiuntur etiam verbis cum iis quae in annalibus Tabarii referuntur convenire videantur — id quod cl. Noeldeke affirmavit —, ea non tam e libro Tabarii desumta esse quam aeque atque quae in illo tradantur ex eodem fonte esse hausta. Quam sententiam firmari evidens est eo quod auctor haud raro res singulas accuratius exposuit et de nominibus propriis saepius dissentit; quod facilius explicatur si putamus, utrumque eodem fonte usum fortasse esse, alterum vero aliis simul adhibitis fontibus

de nonnullis rebus dissensisse. Nullo vero loco cuiusvis libri nobis cogniti noster nominatur. Iam supra (p. 40 adn. 1) verba attulimus quae e libro quodam Mirkhondi desumta eadem fere sunt quae in codice reperiuntur, sed quis est qui contendat ea ex hoc libro hausta esse? Id quidem multo facilius videtur fieri posse ut contendas de libro quem Ibn al-athîr composuit. Eius enim Persarum historiae expositionem quam omnem cum ea quae in codice exstat comparavimus, vidimus, magna ex parte verbis ipsis convenire cum nostro libro. Atque quod maxime premendum est, plerumque postquam alias de quibusdam rebus exposuit sententias vel potius traditiones, addit cum verbis قيل aliisve eiusdem generis utatur aliam opinionem quae et ipsa ac sola in codice refertur. Ad quod ostendendum sufficiat haec pauca attulisse exempla. Ibn al-athîr cum de regis G'amshîd rebus alia nonnulla, quae in codice maximam partem desunt, exposuerit, haec addidit (I, p. ۴v): وقيل وانه ادعى الربوبية فوثب عليه اخوه ليقتله واسمه اسغتور فتوارى عنه مائة سنة فخرج عليه فى تواريته بيوراسب فغلبه على ملكه. In codice vero (p. 60) haec reperiuntur: .... فملك الاقاليم كلها الى ان بقى من ملكه مائة سنة فانهم زعموا انه خرف وخلط وادعى الربوبية جل الله وتعالى عما يقول الظالمون فلما فعل ذلك اضطرب امره عليه ووثب عليه اخوه اسغتور وطلبه ليقتله فتوارى عنه وكان فى تواريه ملكا (?) ينتقل من موضع الى موضع ثم خرج اليه البيوراسف فغلبه على ملكه ونشره بالمنشار نشرا الخ. His vero accuratius inter se consentiunt quae de Dhohâko rege narrantur Ibn al-athîr I p. ٥٣ (med.) وتزعم الفرس ان الملك لم يكن الا للبطن الذى منه اوشهنج وجم وطهمورث وان الضحاك كان غاصبا وانه غصب اهل الارض بسحره وخبثه وهول عليهم بالحيتين اللتين كانتا على منكبيه وقال كثير من اهل الكتب ان الذى كان على منكبيه كان لحمتين طويلتين الخ quibuscum conferas quae in codice pag. 61 (med.) narrantur: والمجوس تزعم ان الملك لا يكون الا للبطن الذى منه جم وطهمورث واوشاهنج وان الضحاك كان غاصبا وانه غصب اهل الارض بسحره وخبثه وهول عليهم بالحيتين اللتين كانتا على منكبيه ..... (p. 62) واما من يفهم امر الكتب فذكروا ان الذى كان على منكبيه لم يكن حيتين ولكن كانتا لحمتين طويلتين نابتتين على منكبيه كل واحدة منهما كرأس الثعبان الخ. Item conferenda sunt quae ab Ibn al-athîro (I p. ١١٦ lin. 10 sqq.) cum inciperet وقال غير هشام relata sunt cum iis quae in codice p. 73 (infra) reperiuntur. Regisque Minug'ihr oratio quam habuisse dicitur ab utroque iisdem fere verbis traditur (Ibn al-athîr I p. ١١٦ infra, in codice p. 75 med.). Prae ceteris conferas de regum Ascanidarum rebus quae, postquam alia quaedam paulo antea allata sunt, exponuntur (Ibn al-athîr I, p. ٢٠١ infra (lin. 1) cum auctoris expositione (p. 109 sqq.)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-19547/fragment/page=00000062

obvia. Eadem enim iisdem fere verbis ibidem deprehenduntur enarrata. Pari modo totam fere Sâsânidarum historiam tractare possumus idemque animadvertimus.

Quae si diligentius considerantur fieri potest ut putetur, illum isto libro ut fonte esse usum, cum quidem multo post auctorem floreret, sed cum passim videamus Ibn al-athîrum quamquam idem prorsus referret tamen verbis singulis ita quidem ab illo dissentire ut aliud eiusdem sensus verbum adhiberet, rectius iudicare videmur, eum eodem atque illum e fonte hausisse sed verba nonnulla vel libere mutasse vel, siquidem liber e quo uterque hauriebat persicus fuerit, aliter vertisse. Quae res quamvis dubia sit hoc tamen elucere opinamur, librum ipsum Ibn al-athîri maxime probare, quanti sit aestimandus codex; cuius etsi non iam existant fontes, tamen ipse videtur fontem satis purum et continere et perhibere. Atque licet contendere nequeamus ceteros posterioris aetatis libros in eo quasi fundamento inniti, tamen hoc tenemus, eo optime cognosci fontis primi naturam.

Illud vero de historiae Persarum potissimum expositione esse dictum ex ipsis nostris verbis cognoscendum est. De chronologia autem, quam ut confirmaret id maxime egisse auctorem iam initio tractationis indicavimus, quid sit iudicandum, exponere supersedemus. Id quidem speramus hac tractatione esse probatum, codicem maximi esse ducendum librumque haud ignobilem tenere locum inter scripta Arabum historica.